BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III

LVII
C
57
NAPOLI

ACITUS GERMANO-BELGICUS

Sive

FLOSCULI HISTORICO-GENEALOGICI

DE ORIGINE AC REBUS GESTIS

bello-politicis,

CAROLORUM
Magni,
Audacis,
Quinti,

ALIORUMQUE GERMANIÆ AC BELGII PRINCIPUM

Quibus acceſſerunt libro poſteriori

TRACTATUS SUBLIMES,

cùm Aquilâ recto Tramite

ſursùm volantes,

De verâ cognitione Creatoris ac Creaturarum;
nec non philoſophia nova, ex ſacris litteris,
revelata parvulis, & abſcondita
â ſuperbis;

Cum

TRA[illegible]ATIBUS BELLICO-MORALIBUS

Theolo[illegible], myſticis, nec non Monarchiis,
al[illegible] ſcitu perjucundis,

Ac

Futurorum [illegible]uum præſagiis: in lucem
& [illegible] publicam,

Collecti à I. [illegible]o I. V. D. &c.

Scientia [illegible] Virtutum.

Cum Su[illegible] Privilegio.

[illegible]LONI[illegible]IPPINÆ
[illegible]ND[illegible] BINGIUM.
M. [illegible]

Orbis Phœnici, Humani Generis delicio.

EOPOLDO AUSTRIACO

CÆSARUM	Filio Nepoti Abnepoti	}	Auguſto
REGUM	Arbitro Alcibiadi Herculi.	}	Pacificatori.

SIſtunt ſe Majores Tui, Nemini Virtute ſecundi, atque hoc eodem anno; quo centum ante annos, Carolus V. factis hanc vitam complexerat glorioſis, in Te reviviſcit, dum eadem; qua ipſe florenti 18. annorum ætate, æqualia. Virtutum oſtendis, merita, quippe in animam bonam intrat Spiritus ſapientiæ, Vnde nec à dextris deficis, nec à ſiniſtris excedis; ſed quo medio olim

)(2 Marcus

Marcus Fulvius Ætoliæ Triumphator, Muſarum ſigna, Romæ in Herculis Muſagetis Templo poſuerat, demonſtrans Muſas Herculeæ Industriæ viribus florere jucundiùs, ſic Heroica Tuæ Indolis ſigna, in media Virtutis Luce ad Majorum imitationem, Hoſtes in centenario fruſtrà tentato molimine, ſemper cum ſtupore mundi vincentium, ſumma gloria reſplendent, quorum Alpha & Omega, victorioſa Tua denotant Consilium et Industria: Patere igitur pro ingenita Benignitate Auſtriaca, ut plures libellum hunc, avito ſplendore Tuo atque rebus præclare geſtis illuſtratum ad Dei & creaturarum cognitionem pertingentes nec dextris nec ſiniſtris (queis non rari inclinant hujus ſæculi Principes) mutati, ſed medium teneant beati. Vive, Fruere, ac animam pro ovibus tuis ponens tot Regnorum, quot Virtutum medio, Fœlix Triumpha.

⁂

Defectus

Defectus	*Virtus*	*Exceſſus.*
1. Ignavia.	1. Conſilium.	1. Temeritas.
2. Egeſtas.	2. Temperantia.	2. Ebrietas.
3. Avaritia.	3. Liberalitas.	3. Prodigalitas.
4. Præſumptio.	4. Magnificentia.	4. Pertinacia.
5. Impatientia.	5. Modeſtia.	5. Superbia.
6. Puſillanimitas.	6. Magnanimitas.	6. Ambitio.
7. Proſtitutio.	7. Manſuetudo.	7. Iracundia.
8. Figmentum.	8. Veritas.	8. Mendacium.
9. Inſenſibilitas.	9. Prudentia.	9. Adulatio.
10. Inſtabilitas.	10. Conſtantia.	10. Infidelitas.
11. Deceptio.	11. Juſtitia.	11. Iniquitas.
12. Impudentia.	12. Caſtitas.	12. Luxuria.
13. Indignatio.	13. Clementia.	13. Furor.
14. Vilitas.	14. Urbanitas.	14. Scurrilitas.
15. Malignitas.	15. Benevolentia.	15. Detractio.
16. Timor.	16. Fortitudo.	16. Deſperatio.
17. Odium.	17. Charitas.	17. Crudelitas.
18. Cunctatio.	18. Induſtria.	18. Socordia.

Sic Fauſto Tuo Nomini Medium precatur Virtutis Muſa Paſtoria.

Ad Lectorem Benevolum.

SI Virtutes ac ſcientias quæ Principem decent ſtrictè quæris manu, In hoc Tacito Germani Belgico no. tacitè reperies, ſi antiquitatem Ducum ac potentiam 30. Brabanti Te edocent, ex quibus unâ cum prim Cæſare Germanico Carolo Magno, omnes ferè a Regio Cæſareoque diademate inſigniti, aut majori animi fortitudine regna ac Imperia renuerunt, ut Martellus, Henricus II. Albertus, pag. 5. 22. & 130. nam

Fortior eſt qui ſe quàm qui fortiſſima vincit Mœnia.

Si bellorum antipathicas cauſas, ac prætextus habendi, aliasque exitus infœlices pro eodem moderno rerum ſtatu applicare cupias, in hoc parvulo compendio tanquam ſpeculo magnarum rerum repræſentativo, multa de longè, & ingentia cernes unico intuitu volumina: Quin porrò ex alterâ parte, mores tuos ad juſtitiam, & à mundi hujus caducitate, ad æterna dirigere, cum omni quidquid in mundo ſcibile eſt, noveris ſuccinctè. Pauxillum equidem Terræ eſt, de quo tam atrociter multi pugnant, hic vanè tumultuatur humanum genus pro levi gloriolâ, & cœleſtia ac ſecura perdunt.
Scopum igitur æternis applicato, & boni publici amatores foveto: errores prudenter corrigito.

* * *

INDEX

INDEX

PRIORIS LIBRI.

De rebus præclare geſtis Carolorum & Auſtriacorum, unde virtutes addiſcendæ, ac vitia declinanda.

A.

ADulterium Pipini II. §. 5.
Academia Pariſienſis, & Ticini à Carolo Magno fundata §. 16.
Amor ſubditorum erga Principem §. 27.
Arnoutus Princeps Grymberganus ex pluribus Belgij locis ejicitur per Godefridum §. 26. & 30.
Amor Principis erga ſubditos pauperes p. 21.
Accuſatio falſa quantum mali §. 54. 67.
Aleyda Duciſſa devota §. 55. *filiam nupſit.*
Henricus VI. Imp. 1283. §. 55.
Antonius Dux inſignis contra injuſtos Iudices §. 74.
Aliacus Cardinalis & Gerſon Theologi §. 76.
Anglus ſe unit cum Burgundo contra gallos §. 134. & 177.
Arcus Triumphales Caroli V. §. 187.
Albertus & Iſabella §. 189.

B.

Bona mater, bonos educit filios §. 114. & 111.
Begga Soror Grimoaldi Ducis & S. Gertrudis, Pipini II. mater, nomen dedit Beginnis, §. 2. 3.
Belli fructus deteſtandi, §. 155. pag. 104. §. 181.
Brabantiæ primus Dux Pipinus, pag. 1.
Bellum Pipini II. contra Friſios infideles, §. 4.
Bellum Ottonis IV. contra gallos, pag. 20.
Bellum Ioannis Ducis cum Archiepiſ. Colon. pag. 24.
Bellum Philippi IV. Galli, contra Flandros, §. 58.
Brabantia accedit Burgundo, pag. 37.
Bellum inter duos Epiſcopos Leodij, §. 77.
Bellum Zelandicum, §. 88.
Bellum Leodinorum cum Namurcenſibus, §. 95.
Bellum Burgundico Anglicum contra Gallos, §. 98.
Burgundi contra Helvetios, §. 136.

C.

Carolus Martellus Pipini II. ex Alpiade natus, 70000. Saracenorum fudit, ac Friſones nondum Chriſtianos domuit, §. 7. regnum Galliæ recuſat hoc dicto, Imperare Regibus, quàm Rex eſſe malo, §. 8.
Carolomannus Martelli filius monaſticam vitam ſequitur, p. 7.

Caroli Magni res geſtæ, p.8. Concilium Francofurti, pag.9. Saxones, Bavoros, Vngaros devicit ac in deditionem acceptos humaniſſimè tractavit, §.13. Romæ fit Imperator, §. 14. ſtatura & facundia, ac uxores Caroli Magni, p.10.11. pietas in Deum ac proximum, p.12.13.

Caroli Audacis prima expeditio in gallos, quibus leges pacis imponit, pag. 61. ſecunda expeditio & cauſa belli, §. 133. & ſeq. pugna & obitus ante nanceium, §.138. æmulus Alexandri Magni, cujus pater etiam, uti & Caroli V. Philippus dictus. §. 146.

Caroli V. educatio, §.179. ætatis anno 15. ſuſcipit Regimen & alia geſta, pag.114. & ſeq. introitus. Romæ, §. 186. ejus ultimus ſermo an filium. pag. 127.

D.

DVces hoſtium in bello trahendi ad alteram partem ſicut Martellus Eudonem traxit. §.7.

Ducis Henrici Limburgij fautores Oppido ejecti, §.29.

Diſcordia civium cauſat Principi mala, §.51. 70.

Duodennis Princeps aſſumitur ad gubernacula, §.61.

David Burgundus Epiſcopus Leodien. §.105.

Delphinus Gallus ad Philippum Burgundum refugit. §.106.

Diſcordia Hollandorum de hamo & aſello, §.108. 158.

Docti viri à Carolo Magno, Audace, & Quinto promoti, §.26. 111. pag. 237. §.141.

E.

Exempla peſſimorum conſiliorum §. 103. 81. 112. 149. 162. 167.
Exempla pietatis Principum §. 111. 114.
Exul Rex Angliæ. §. 127.
Exequiæ Magnatum p. 76.
Epiſcoporum officium §. 157.
Epiſcopi Leodien. cædes & mala inde ſecuta §. 164.

F.

Filij Tres Ludovici Pij ac eorum patrimonia. pag. 14.
Fames ingens, & tres Lunæ in cœlo viſæ §. 33. 62.
Filij quomodo educandi pag. 12. 60. §. 179.
Friſij per Carolum Audacem domiti §. 127.
Fridericus III. Imp. à Carolo Burgundo Treviris magnificentiſſimè excipitur §. 130.

G.

Grimoaldus Pipini filius Leodij Martyr. pag. 2.
Guilibrordus Friſiorum converſor. ibid.
Godefridus Barbatus VII. Brabantiæ Dux §. 26. ejus filius §. 29. ejus Nepos in cunis ad aciem deportatus, ut eò fortius pugnarent milites. §. 31.
Galli omninò cæſi à Flandris p. 28.

Germani

Germani exploduntur, quod plus gallicè, quam latinè loquantur §. 79.
Gallos adjuvarunt Brabanti contra Anglos. §. 80.
Glouceſtrius Hannonia ejectus §. 86.
Geldria ex Teſtamento venit ad Burgundum. §. 129.
Galli irati occupant Burgundiam §. 150. & ſub quo privolo prætextu. ibid. & §. 156.
Gandavi applauſus erga bonum Principem Auſtriacum. §. 154. & Gallorum erga Philippum. 1. §. 172.

H.

HEnrici Ducis Brabantiæ filia datur nuptui Ottoni IV. Cæſari pag. 18. idem Henricus vicit Turcas §. 35. Socero Regi Galliæ nec pecunia, nec bellico opitulatur apparatu, §. 36.
Henricus II. Dux recuſat Imperium p. 22.
Hollandia devaſtata §. 90. 92. Hollandi vincunt Trajectenſes, §. 155. 181.

I.

INduciæ §. 157.
Iuſtitia maximè decet Principem §. 126.
Induſtria Caroli Audacis. pag. 60.
Ita in Principe deſ[illegible], & quamdiu quis in pace vivere poteſt, bellum non expetendum, §. 109.

Ioannes

Ioannes Dux Brab. haſtiludio in nuptiis Angliæ occumbit, §. 56.
Ioannis IV. conjux cur nupſerit alteri, §. 81. *& ſeq.*
Iacoba adultera Gandavo fugit, §. 87. *& ſeq.*

L.

LVxenburgum acquirit Burgundus, §. 101.
Leopoldi eadem educatio & Virtus ac Caroli V. §. 191.

M.

MOnaſterium conditur ab Henrico Magnanimo. Matrimonia ejus filiarum. pag. 21. *ſub ipſo floruit Albertus magnus*, ibid.
Motus civiles maturè ſedandi. §. 59. 67. 115.
Mechlinia olim ad Epiſcopatum Leodien. pertinebat, §. 64.
Militis officium, §. 79. 142. *gravamina*, §. 137.
Mutato famulatu & regiminis formâ, ingentia oriuntur mala, §. 81.
Magnificentia Caroli Burgundi, §. 120. *&* 130.
Matrimonij ineundi ſana ætas 35. *annorum ut in Carolo Audace*, p. 68.
Mechlinia ſupremum Tribunal à Carolo Audace inſtitutum, §. 131.
Maximilianus I. ex Germania in Belgium redux, §. 176. *&* p. 101. *obitus*. §. 183.

in Nuptiis

N.

Nuptiis Caroli Audacis, octavum Orbis miraculum, pag. 67.

O.

Obſidio Caleti, §. 99.
Daventriæ, §. 105.
Dionanti, §. 115.
Leodij, §. 119. 122.
Aquisgrani. §. 123.
Noveſij. § 132.
Nancei. §. 137.

P.

Pipini II. conjunx Plectrudis, quorum tres filij Drago, Grimoaldus, & Silvius, ante Carolum Martellum ex ſolutâ natum obiere. §. 5. & 6.

Pipinus II. Herſtallus, olim Gubernator Galliæ, Belgio Carolum Martellum ſucceſſorem primoribus amplectentibus præficit. §. 6. *Anno* 703.

Pipinus III. ex Duce Brabantiæ Gallorum Rex creatus Eccleſiam Romanam uti Chriſtianiſſimus fortiter defendit anno 792. *pag.* 7. *Caroli Magni Pater, pag.* 8.

Prodigia Caroli Magni obitum præcedentia. § 17.

Princeps agere debet ſubditorum commoda, §.27.68
Pietas Principis p.15. §. 56. 60.92.109.
Pacem conciliant matrimonia §. 35. *ſeu pecuniæ*, pag. 29.
Pluvia decem Menſium §. 62.
Peſtis §.62. & 65.168.
Princeps quales Conſiliarios aſſumet §. 94.131.
Philippus Burgundus contra Turcas movet, §.107.
Principes non aderant injuſta conſilia. ibid. & §. 112.
Pompa ſeu introitus Caroli Audacis §.117.
Principem decet juſtitia §.118. & §.74.112.126.
Profugi Leodienſes redeunt in gratiam §.125.
Pacis mediatores qui adhibendi, p.77.149.
Prudentia & probitas Caroli Audacis, §. 142. & ſeqq.
Plebæi magiſtratus meliùs regunt nobilibus, §.152.
Princeps Arembergus ob bella injuſta capite plectitur pag. 100.
Philippus I. Auſtriacus Dux Belgij, Caroli V. pater §.170. *manſuetus in ſubditos*, §.173.
Philippo II. Carolus V. nil magis commendat, quàm Iuris legumque Tutelam. pag.127. *Philipporum II. III. & IV. res præclare geſtæ ac elogia*, pag. 129. & ſeq.

R.

Roravit melle Lovanij, §.39.
Rebellio Brugenſium contra Philippum Burgundum, §.100.

Rebellio-

Rebellionum cauſa ſunt nimiæ exactiones; §. 104.
Rebellio Mechliniæ compoſita, §. 118. item alia Leodienſis per Carolum Audacem ſopita: §. 119.
Rebellio Geldrorum, §. 151.
Bruxellenſium, §. 152.
Lovanienſium, §. 153.
Remedium anonæ, §. 159.
Rex Romanorum Maximilianus I. cum patre Belgium intrat, à Gallis recuperat oppida, pag. 101.

S.

SAraceni feroces Chriſtianorum hoſtes vincuntur à Carolo Martello, §. 7.
Stratagemata, §. 7. 29. 31. 53. pag. 28. §. 61. 142. 147.
Sigiſmundus Rex Romanorum Aquisgrani excipitur, §. 79.
Submerſio pagorum, p. 48. & 50.
Sponſalia Philippi ad quem Burgundia & Brabantia acceſſerat, §. 97. ejus filius Carolus audax. ibid. inſtitutio Equitum aurei Velleris. 1428. §. 109.
Subditos pro luxu Principum gravare eſt peſſimum conſilium, §. 103.
Stella comata peſtis ac belli index, §. 128.
Scoti in Anglia caduntur, §. 178.

Templo-

T.

Templorum ſpoliatores puniuntur divinitùs, p. 19. *& humanitùs*, §. 124.
Tutela liberorum, defunctâ matre, defertur Patri, §. 163.
Terræ motus, p. 50. *&* §. 171.

V.

Virtutes quæ maximè decent Principem, §. 50. 79. 109. 183.
Wenceslaus Caroli IV. Imp. frater, §. 67. *capitur à Iuliacenſi, & hic privatur per ſententiam*, pag. 35.
Vniverſitas Lovanij à Ioanne IV. §. 89. *Pariſienſis*, §. 16.
Vxor ex deſiderio mariti moritur, §. 114.
Vniverſalis luctus de obitu boni Principis, §. 116. 140.
Victoria Virtuti, non fortunæ tribuenda, §. 132.
Vnica Caroli Audacis filia nuptui datur Maximiliano I. Auſtriaco, §. 141. 150. *equo delapſa obiit*, §. 160.

FINIS.

Sereniſſimis, Eminentiſſimis, & Potentiſsimis

S. Rom. Imperij Principibus Electoribus Ducibus Marchionibus Comitibus, eorumque prudentiſſimis Legatis.

DI tal' Altezze e di quei Voſtri
ô Grand' Heroi d' Aleman, alti pregi
Onde fra Duci Illuſtri ite, e fra Regi
Ornar tento le carte, e bellir gl' inchioſtri:
Ma ſe di qual' Virtù più in Voi ſi moſtri
Raggio, m' affiſo, à gli ſplendori egregi
Lo ſtil trema, e l' ingegno, i carmi, e fregi,
e de l' armi m' abbagliano, e de gl' oſtri.

Penna mortal, di immortali honori
Scriver tenta, vien rauca l' Aquil' fra tanti;
Ma de l' Impero garriran' cigni canori:
Sieno le voſtr' opre dong, i voſtri Vanti
In Vece del giglio, l' vcel di Gioue adori;
e grandezza d' animo vi lodi e canti.

Xenij loco Devotiſſima accinebat
Muſa Paſtoriana.

INDEX
POSTERIORIS LIBRI.
De cognitione creatoris ac Creaturarum.

A.

Activa principia ſunt calor & frigus. pag. 141.
Ex aquâ formabatur cœlū, mare, & aer. §. 2. & 4.
diviſit aqua, ab aquis.
Aqua videtur materia prima. pag. 139.
Aurum unde Generetur, p. 150.
Aurum chymicum. pag. 153. quomodo fiat. ibid. & 162.
Aſtrologica ſcientia. 157. & 158.
Aer & venti unde, §. 2. 5. & p. 159.
Animæ calor & vivificans, p. 145. unde anima dicitur divinæ particula auræ.
Accidentales formæ & modi ſine ſubjecto eſſe nequeunt. pag. 160.
Animalia quomodo generentur. p. 145.
Angelorum ac animæ beatæ æterna gloria. §. 49.
Actiones non variat eſſentialiter Temporis interruptio, p. 161.
Anima rationalis per accretionem occupat majus corpus, §. 22. ſupernaturaliter eſſe poteſt in pluribus locis. ibid.
Angelus quomodo extendat locationem ſuam, §. 22. ejus operationes ſucceſſivæ, p. 171.
Ævum eſt duratio creata indefectibilis ex ſe, &
Æternitas eſt interminabilis vitæ poſſeſſio, §. 23. non habet præteritum nec futurum, p. 214.

Animæ

Animæ rationalis ſubjectum eſt corpus humanum heterogeneum, §. 26.
Animarum gradus. p.175. ejus potentiæ, §. 28.
Animæ potentiæ poſſunt ſeparatim collocari â Deo in quolibet alio ſubjecto, p.176.
Appetitus quotuplex, p.178. in corde eſt ſenſitivus in anima rationalis, ibid.
Arbitrium liberum in quo conſiſtat, §. 33. 16. p.212. & 221.
Apprehenſio boni inducit amorem, mali odium. §. 34.
Adami & omnium Patriarcharum ætas, §. 55. & ſeq.

C.

Calor cauſat lucem, & frigus tenebras. p.142.
Cœlum unde factum. §. 4. & pag. 162.
Calor innatus. 147. unde humidum radicale, ibid. & p. 150.
Cometæ unde generentur, p. 156.
Calor, ſi abſque reſiſtentiâ frigoris ageret, tota materia in cœlum verteretur. 146.
Corruptio fit à potentiori contrario. 144.
Cauſa eſt principium influens eſſe in aliud. 162. eſt quadruplex, efficiens, materialis, formalis, & finalis, §. 15. 17. & p. 192.
Creatio & gubernatio ſunt potentiæ divinæ, §. 16. & §. 24.
Concurſus Dei cum cauſâ ſecundâ, eſt ipſa ejus actio, prout procedit à Deo. §. 16.
Continuum eſt diviſibile in ſemper diviſibilia §. 23.
Cœli ſunt tres. pag. 172.
Conſcientia quid ſit, §. 32.

D.

Deus non eſt cauſa peccati, 166. eſt ens ſimpliciſſimum, 190.
Diſcurſus quid ſit, pag. 184. Deum cognoſcimus per effectus, §. 38. Deus eſt optimus, & infinitus. §. 40.

Deus quomodo ſit ubique. 198. actione in res. 199. oculis eſt inviſibilis, ſed intellectu, §. 42. ſcit omnia, §.43.

E.

Elementa unde orta, §. 2. 5. & p. 159 162.
Ens naturale eſt quod conſtat materiâ ac forma, pag. 162.
Extremum Judicium qualiter fiet, §.50. & 59.

F.

Frigus cauſat denſidatem in Terra, pag 144.
Forma eſſentialis & accidentalis. 151. 153 160.
Fulgur unde generetur, p. 156.
Fatum eſt inhærens rebus mobilibus immobilis diſpoſitio. §. 17.
Fortuiti effectus. §. 17.
Finitum certis concluditur Terminis, §. 20.
Fides & Theologia idem, §. 36. & pag. 186.

G.

Generatio plantarum & animalium. §. 5 25.
Generationis materia, calor. pag. 145. & 150.
Grando quomodo generetur. pag. 154.
Gloriæ ſeptem corporis beati, pag. 182.
Gratia Dei præveniens, pag. 221.

H.

Hominis procreatio, pag. 145. 150. 163.
Herbæ unde naſcantur, §. 5.
Hominis morientis Iſagoge, §. 53.
Hominum beatorum ſtatus & 7. gloriæ. § 59. & pag. 182. quæ manſiſſent perfectiores, ſi Adam non peccaſſet.

I.

Intellectus Agens & poſſibilis, §.31. & 32.
Iris quid ſit, & unde oriatur. 155.
Ignis ſphæra elementaris an ſit. 151.
Infinitum ſyncategorematicum datur, §. 21.
Indiviſibilia, ut Angelus & alia, quæ ſint. pag 171.
Ira in Deo quomodo dicatur, 217.

L.

Lapis philoſophorum probatur ex S. Scriptura. 154.
Luna quid ſit, ejus magnitudo maculæ & motus. 156.

M.

Materia prima. pag. 139 & 160.
Mare eſt congregatio aquarum. 143.
Mineralia quomodo fiant, pag. 150. & ſeq.
Motus localis in animalibus. 162. 167.
Monſtrum quid ſit, §. 17.
Mundus quomodo extremâ conflagratione innovabitur, §. 50. & 59.
Miracula Chriſti, quæ pro evidenti ſigno Eccleſiæ patravit & hæc ſigna ſequentur eos, qui in vera erunt fide, §. 60.
Mors hominis qualis ſit, §. 53.
Morbi quomodo à ſtellis, p. 149.
Monarchia Aſſyriorum, Medorum, & Perſarum quanto tempore duraverit, §. 56. & ſeq.

N.

Nubes unde fiant. p. 155. duplici motu moventur. 156.
Natura quid ſit, pag. 161. omnis & ſola materia ac forma ſubſtantialis eſt natura. ibid.
Natura eſt cœca, & ſubdi debet gubernanti rationi, §. 38.

O.

Ordo & harmonia cœleſtium machinarum inducit cognitionem creatoris, p. 189.
Omnia futura contingentia Deus cognoſcit in rerum præſentialitate, & in decreto ſuæ Voluntatis, §. 44. 45. 46.
Oratio ad Deum ut ſit efficax, quinque ſunt neceſſaria, nam peccatores Deus non exaudit, & 1. contritio de peccatis. 2. lachrymæ ac virtutes. 3. elevatio mentis, non labiis tantum ſed corde 4.

amor erga proximum, non inſtar phariſæi. 5, abſtractio à mundanis. pag. 224. Quia Tepidus es ideo evomam te: reconcilia prius terram fratre, poſt ora, pag. 223.
Orationis Thus, Jejunij Myrrha, & aurum bonorum operum cum 3. Regibus offerri debet, p. 224.

P.

PLuvia unde naſcatur, p. 155.
Planetæ malefici & benefici. 157. eorum influentiæ ſeu operationes ſpirituales. 158.
Pravi parentes, pravos habent Nepotes. 166.
Paſſio, actio, & motus ſunt idem realiter, §. 19.
Potentiæ animæ rationalis ſunt intellectus Memoria Voluntas, §. 31.
Prædefiniendo Deus non imponit neceſſitatem arbitrio, §. 47. & p. 220.
Prædeſtinatio eſt ratio transmiſſionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ, §. 48. & quæ requirantur ad illam, pag. 224. Euge ſerve bone & fidelis.
Pœnæ contra impios licet crediderint. ibid.
Poſitivè Deus non vult omnia ita fieri, ſed permiſſivè, 217.
Præſagia futurorum eventuum de Pontificibus & aliis ſtatibus mundi, §. 54.
Phantaſia ſeu ſenſus internus, §. 33.

Q.

QUalitates ſeu principia rerum prima ſunt calor & frigus, p. 145.
Quomodo Deus velit omnes homines ſalvari. 216.

R.

RAdij ſolis unitè reflexi accendunt naves. pag. 143.
Ratio, Intelligentia, Mens, & conſcientia ſunt idem, §. 32.
Ruſtici & rudes quomodo poſſint eſſe Theologi, pag. 185.

Roma-

Romanum Imperium quanto Tempore durabit; & ſigna ejus interitus, pag.238.& §.50. ac 55.

S.

SPiritus vitales ſubtiliores, conſervantur à ſubtilioribus cibis. p.146.
Sol quid ſit, quantæ magnitudinis & quomodo moveatur. §.6.
Signa 12. Zodiaci, & eorum influentiæ. p.149.
Solis operationes admirabiles, p.ead.& 152.154.
Stellæ quid ſint.157. unde appareant cadentes,156.
Saturni ſtella, quia luminoſa, an calida. 157.
Semen quare ſpumoſum. 145.
Subſtantia uni, poteſt alteri eſſe accidens. 151.
Senſus ſeu Idæa interna. 164.177. reſidet in cerebro.
Senſibilia communia ſunt, motus, quies, numerus, figura, magnitudo. 177.
Synteresis quid ſit, §.32.

T.

TEmpus quid ſit. pag. 143. 171.
Terra arida ac frigida. 147.
Tonitru & Terræ motus quomodo generetur, pag. 173.
Theologia ex lumine & revelatione divinâ, §.35.
Theologus pronunciat ex revelatis ea quæ humana ratio non capit, §. 37.
Theologiæ neceſſitas & excellentia, p.188.
Trinitas divina quomodo explicetur, & quæ ſint quatuor ejus relationes, §.51. & 52.

V.

VIſio in quibus conſiſtat. pag.142.
Vita conſiſtit in calore, Mors in frigore. pag. 146.
Unio compoſiti, pag. 161. Unio animæ qui fiat, ibid.
Venti unde oriantur, & quot ſint. p.159.

Ubi

Ubi ſeu locus eſt ſuperficies corporis continentis immobilis, §. 22.
Vacuum eſt locus privatus corpore. ibid.
Univerſum ſeu mundus eſt compages ex cœlo, terra & reliquis naturis coagmentata, p. 172.
Viciſſitudo Generationis & corruptionis. 173,
Vegetativæ & ſenſitivæ potentiæ habent ſub ſe attractivam, retentinnam, digeſtivam, & expulſivam, quarum I. regitur, à Sole, ſecunda à Saturno, Tertia à Jove, quarta à Luna, p. 176.
Voluntas eſt Domina Potentiarum ac politicè imperat intellectui, Phantaſiæ, & appetitui, §. 33.
Voluntas non fertur in incognitum, §. 34.
Voluntate ſuâ Deus prædefinit omnia, & eſt diſcrimen inter ſcire ac Velle Dei, §. 46.
Voluntas Dei in homines malos ad puniendum eſt conſequens, & quid de antecedenti, p. 217. ſuperbos; guloſos, luxurioſos, ſodomitas, blaſphemos; perſecutores, injuſtos non ſalvat. p. 224.

F I N I S.

DE ORIGINE, ATAVO AVO, ET PATRE CAROLI MAGNI. §. 1.

BRABANTIÆ Dux primus fuit Pipinus Carolomanni filius, Brabonis III. hujus provinciæ nomen dantis Nepos qui uxore capta ex gente Aquitanica, Suevos, aliosque Germaniæ populos bello vicit. Huic tres fuere liberi: filiæ Begga & Gertrudis: quarum hæc eſt poſtea in numerum relata Divarum: Filius, Grimoaldus, qui patre mortuo Dux factus, Reip. præfuit. Hujus viri conſilio Sigisbertus rex Francorum, diverſis locis, in pauperum alimoniam ſacras ædes, & cœnobia etiam Moguntiæ apud veterem cellam extruxit: interfecto poſtea Grimoaldo, Soror ejus Beggá, cum marito ſuo, res Brabantiæ aliquantum temporis adminiſtravit.

PIPINVS SECVNDVS DVX BRABANTIÆ. §. 2.

MAtri Beggæ Pipinus ſucceſſit hujus nominis ſecundus, Dux Brabantiæ, qui Herſtalli cognomen accepit ab Herſtallo locus inter Leodium & Trajectum ſituato, ubi ad Moſam fluvium idem Pipinus arcem extruxerat, in quam frequenter loci captus amœnitate, ſe recipere ſolebat. Progenitoribus ortus ſanctiſſimis, matrem habuit Beggam, Gertrudis divæ ſororem.

DE MATRIMONIO PIPINI II. §. 3.

PLectrudis mulier vitæ ſanctimonia inſignis huic uxor data eſt. Matrimonij vinculo ſic juncti, ac

velut concatenati, bonorum omnium radici concordiæ nihil præferendum exiſtimantes, omnia ſic egerunt, ut pax inter eos & tranquillitas eſſet. Hanc pacem id boni ſequutum, ut ex eo conjugio digna parente ſit ædita proles: filij tres, Drago & Grimoaldus, qui quum Chriſti eſſet fortis adſertor Dei, poſtea Leodij martyrium adiit ob Chriſti fidem, ibi ſepultus in æde divo Jacobo ſacra. Filius tertius fuit Silvius vir pientiſſimus, qui & ipſe ſancti appellationem meruit. Filia Notburgis vocata eſt. Sepulchro illata Coloniæ, miraculis claruit, quæ res vitæ innocenter actæ, evidens eſt indicium. Omnium ex conjuge Plectrude liberorum funera, vidit Pipinus.

§. 4. *DE BELLO PIPINI II.*

GUbernante eo res Brabanticas, Phryſij, qui tum erant fidei hoſtes, ut ſuum in Chriſtianum nomen explerent odium, Franciam Orientalem ferro & igni late vaſtaverant. Pipinus igitur orthodoxæ fidei propugnator acerrimus, ex ſuis delectu habito, aliquot armatorum milia contrahit. Nec longior inde mora, cum his copiis in Hollandiam transgreſſus Vuiltemburgum, nunc urbs Trajectum dicitur, obſedit, multumque & diu ab his qui intus erant, ſtrenue defenſum, tandem cepit. In urbe jam capta vis ingens Barbarorum cæſa eſt. Hic primum ſubacti ſunt Phryſij, qui nunquam antea didicerant externo parere principi. Eorum, quos armis deviceraт Pipinus, animas quoque lucrari & ſervare cupiens, Guilibrordum, quem habebant ea tempora virum ſanctiſſimum huc miſit, qui clariſſima Evangelici ſplendoris luce, cæcatos infideli opinione populos illuſtraret, & gentem alioqui indomitum ad veri & unius Dei cultum accenderet.

ADVL-

ADULTERIUM PIPINI II. §. 5.

INvidit poſtea Pipinus in fœdum adulterij crimen, quod ipſum eo fœdius eſt habitum, quo innocentius vixerat ad id tempus ipſe. Alpiadis cujusdam nobilis & forma excellenti mulieris pulchritudine captus, eam compreſſit, & prægnantem haud multo poſt reddidit. Unde natus illi filius Carolus, qui Marcelli cognomen tulit. Hunc Pipini amorem eo progreſſum invenio, ut adhuc ſuperſtite uxore legitima Plectrude, alteram quoque matrimonio ſibi duxerit. Quod factum in duce, quum Lambertus Trajectenſium ad Moſam epiſcopus reprehenderet: Dodo princeps, Alpiadis frater, veritus futurum, ut Lamberti monita ſequutus Pipinus, ſororem ejus mitteret, miſit qui ſanctum virum interficerent. Noctu occiſum invenio, quum aliquamdiu orationi incubuiſſet. Hac de re ſic habet Sabellicus in Enneadibus. Et Lambertus vir inſigni pietate martyrio defunctus eſt, quia Pipinum in crepuiſſet, quod Alpiadem pellicem uxori ſuperduxiſſet. Alpiadis frater Lambertum peremit, nec impune. Luit nephariæ cædis author in atrociſſimum genus morbi, erodente ſe ipſum corpore, ſuppliciaque gignente, Græci Phthiriaſim vocant, Pedicularis Romana voce dicitur. Apud eundem adnotatum invenio his verbis. Duas Pipino, Blondus ait, uxores fuiſſe. Calpiadem, ex qua Carolus, qui Marcelli cognomen tulit, ſit genitus. Secundo loco Plectrudem. Sunt qui Calpiadem Plectrudi ſuperductam ajunt. Non deſunt, qui Martellum ex concubina, non legitimo thoro natum ſcribant. Tanta ubique ſcriptorum laboratur inconſtantia.

***

§. 6. DE MORTE PIPINI II.

PIpinus Herſtallus, per hæc quæ dixi, & alia quædam in Gallia, cui provinciæ gubernandæ præfectus fuerat, geſta, excurſo vitæ ſpacio, moritur anno principatus ſui XXIX. Prius tamen quàm decederet, apud convocatos oppidorum primores, filium ſibi, his etiam amplectentibus, ſucceſſorem conſtituit, qui legitimo thoro natus non erat.

§. 7. DE CAROLO MARTELLO, TERTIO *Duce Brabantiæ Prœliis ejus, & Saracenorum adventu in Galliam, Item de Phryſiis.*

CArolus hic Martellus, robuſta fuit & ferrea natura (unde cognomen accepit. Martel enim lingua noſtrate hamer ſonat) quam in ſubigendis hoſtibus, egregie oſtendit. Saxones primo victi ab eo, & infeſtiſſimi accolæ, & rebelles; inde ſubacti ſunt & Suevi. Poſtea ab Eudone Viſigotho Aquitaniæ, & Vaſconiæ principe, bellum ſibi illatum per legatos geſſit, Ii exercitu congeſto, Vaſconum fines ingreſſi, cum Eudone, qui ad vim arcendam occurrerat, pugnaverunt. Prælio ſuperatus Eudo, ſuisque diffiſus opibus Saracenorum implorat auxilium, qui jam annos decem in Hiſpaniis agebant. Galliam per hoc tempus ingreſſi, Burdegalam urbem vi capiunt, captam diripiunt. Chriſtiani nominis odio ſævitum eſt ſine diſcrimine, in viros, in fœminas, in pueros. Templa quoque funditus everſa ſunt omnia, & conculcata ſimulachra divorum. Jam progredi eos ad diripiendum Martini Turonenſis templum, variis ac pulcherrimis opulentum donariis, fama erat. Carolus igitur undique contractis viribus, ipſo etiam Eudone, qui Saracenos accerſierat, in partes ſuas adducto, Turonum contendit,

ad impiæ gentis opprimendos conatus. Nec multo poſt concurritur utrinque maximis odiis, animisque. Utraque pars difficilem hanc ſenſit pugnam. Sed Saraceni etiam funeſtam. Proditum eſt enim fidei hoſtium, cæſa hoc loco milia ſeptuaginta. Tam inclyta non contenius victoria Carolus, domitis Burgundis, & poſt mortem Eudonis, cujus adjutus viribus Saracenos vicerat, Aquitaniæ quoque magna parte ſuis opibus adjecta, ad Friſones bello perſequendos animum adjecit, qui populi per id tempus nondum Chriſti fidem amplexi erant. Huc devectus claſſe Martellus, omnia diripuit, omnia cæde complevit, nulla neque ſexus, neque ætatis ratione habita. Subvertit ſtatuas deorum, quorum Templa ferro & igni dedidit.

CAROLVS MARTELLVS RECVSAT Regnum Galliæ. §. 8.

HIlderico Francorum rege mortuo, Carolus delatum ſibi provinciæ totius imperium, & regis *Anno 703.* inſignia pertinaciſſime recuſans, Imperare, inquit, regibus, quàm rex eſſe malo, & in locum patris de mortui ſuffecit Dagobertum, qui Hilderico natu major filius erat. Huic poſt quadriennium defuncto, ſubjecit fratrem Lotharium, qui non ultra biennium regnavit. Poſtea Chilperico, (qui cognatus erat regum defunctorum,) vi & armis regnum occupare volenti, ſe cum exercitu objecit Carolus, fuitque ea Chilperico infelix dimicatio. Qui ſic victus, non multo poſt, legatos ad Carolum miſit, quorum ille ita eſt placatus oratione, ut regia Chilperico ſtatim detulerit inſignia. Huic poſtquam annos quindecim rerum potitus eſſet, quidam ſcribunt Theodoricum quendam ſucceſſiſſe. Alij Theodoricum Childerico in adminiſtratione præponunt, & eos dicunt fratres fuiſſe.

§. 9. DE ALIIS PRÆCLARIS GESTIS *Caroli Martelli.*

VIcit & Saracenos Carolus antè Avinionem, quam urbem tum illi occupaverant, duce eorum cæſo Amorteo, qui ex Hiſpaniis accurrerat, ſuis laturus ſuppetias. Gregorio pontifice tertio, Lutprandus Londus Longobardicæ princeps gentis Romam obſidione fatigabat. In Leone (qui Romanus erat imperator) nulla ſpes Pontifici quum eſſet, ad hunc Carolum in Galliis agentem datæ literæ, quibus orabat eum Pontifex, ut laboranti Romæ ſuccurreret. Carolus Pontificis lecta epiſtola poſt habitis omnibus, cum Lutprando ſibi amiciſſimo egit, ut pro mutuo amore abſtineret ab Eccleſiæ rebus. Quod Lutprandus, ne non omnia Caroli, hoc eſt ſummi amici cauſa velle crederetur, libentiſſimè fecit. Ex quo tempore Gallorum reges urbi Romanæ Apoſtolicæque ſedi favere cœperunt. His multisque aliis parta gloria, Carolus jam ſenex vita deceſſit, cujus ſtatua ænea æniponti in Eccleſia Franciſcanorum adhuc hodie cernitur. Quidam ſcribere ſunt auſi, damnatum eum eſſe, & nunquam finiendis traditum cruciatibus, quod aſſiduis exhauſtus bellis, inclementer extorſerit à Clero pecuniam, ut ita procerum ſuorum rebus conſuleret. Additur à ſcriptoribus, Eucherio Aurelianenſium epiſcopo, ſacris operanti, prima luce cœlo repente delapſum è Divis unum id nunciaſſe.

§. 10. DE FILIIS CAROLI MARTELLI.

IN Chronicis germanica lingua conſcriptis, invenio tres Martello patri filios ſupervixiſſe, & filiam unam. Sabellicus nulla facta mentione filiæ, diverſus abiens, duos tradit filios ab eo relictos ſuperſtites,

Carolo-

Carolomannium, cui maximo natu, ex patris diviſione Auſtria & Suevia, Pipinum, cui Burgundia & Francia obvenerunt. Carolomannium poſtea ſponte religionem ſequutum, Romam veniſſe, ad pontificem Zachariam, ab hoc ſacris initiatum, monaſticaq; indutum cuculla, Caſſinenſe adiiſſe monaſterium. Pipinum poſtea ſolum gubernaſſe, devictos ab eo, Aquitanos, & Alemanorum gentem: moderatum Francorum rebus, ut patrem.

PIPINVS TERTIVS QVARTVS DVX Brabantiæ & Gallorum creatus Rex. §. II.

SIve per ea tempora Childericus, ſive Theodericus regnum tenuerit, univerſa Pipini virtutem amplexa Gallia, pertæſaque Regis amentiam, Pontifice Romano qui tum Zacharias nominabatur, prius conſulto, hunc regem creat. Mirum fuit ſemper hujus viri ſtudium in Romanam Eccleſiam, unde Chriſtianiſſimi cognomen tum tulit, Romanis, & laboranti Eccleſiæ adverſus Aiſtulphi Longobardorum Regis injuriam opitulatus eſt. Stephano hujus nominis ſecundo pontifici, in Gallias ad auxilium contra Longobardos implorandum venienti occurrit, adque pedes ejus venerabundum ſe demiſit, inde equo inſidentem, pedibus ipſe in regiã perduxit. Tanto tunc reges pietatis & religionis ſtudioſiores erant, quam nunc privati. Hujus illa vox eſt, eo conſilio nos arma induimus, ut apoſtolicam ſedem ab omni mortalium injuria vindicaremus, id daturi Chriſtianæ pietati, non mortalium ſtudiis. Pipini frater Carolomannus abdicata ſpe mortalium rerum monaſticum Inſtitutum in Caſſino ſuſcepit, ſui & mundi victoria majore. *Anno 752.*

***

§.12. ## BELLVM AQVITANICVM *Pipini II.*

MAgnum fuit Pipino cum Aquitanis negotium, qui octavo demum anno victi ac debellati ſunt. Prima expeditione ad Theloatum oppidum caſtra poſita, & priusquam dimicari cœptum, Nauſerio Aquitaniæ principi data pax eſt. Inde cum in regni interiora ſe recepiſſet, exercitumque dimiſiſſet Pipinus, Nauſerij miles, galliarum gentem ſubita vi adortus, omnia longe lateque populatur. Ad quam ulciſcendam perfidiam, cum exercitu & copiis tumultuoſe reparatis, miſit filium Carolum Magnum Pipinus, erat enim jam ipſe grandis natu. Aquitaniam igitur ingreſſus, magno animo Carolus ex Arvernis brevi multa occupat loca, fuit hoc Tyrocinium, hæc tam læta habuit initia militare imperium Caroli, cui res egregiè geſtæ magni cognomenmentum peperere. Nec multum inde fuit in terris Pipinus, ex Berta conjuge, Heraclij principis filiâ, relictis ſuperſtitibus filiis duobus, Carolo qui poſtea magni cognomentum (ut dixi) eſt adeptus, & Carolomanno, quo mortuo Carolus omnem imperij molem ſolus ſuſtinuit.

Tyrocinii Caroli Magni.

§.13. ## RES GESTÆ A CAROLO MAGNO, *V. Duce Brabantiæ.*

FRancorum regnum, quod à patre magnum quidem & amplum acceperat, mulro maximum & ampliſſimum reddidit jure belli, adjectis Aquitania, Vaſconia, Toto Pyrenæi montis jugo, Italia tota ab Auguſtis prætoriis uſque ad minorem Calabriam, Saxonia citra & trans Albim, utraque Pannonia, Dacia, quæ appoſita in altera Danubij ripa eſt, Iſtria quoque & Liburnia, atque Dalmatia, præter mari-

timas

ſimas civitates. Perdomuit atque ſubegit Barbaras nationes, quæ intra Viſtulam ac Rhenum amnes incolæ ſunt Germaniæ. Saraceni ab eo in Bethicæ angulum ex cætera Hiſpania ſunt compulſi. Bellum geſſit cum Deſiderio Longobardorum rege ac hoſte Romani Pontificis. Hunc redactum in poteſtatem, juſſit Lugdunum in Galliam deportari. Sub Dominicæ reſurrectionis die Romam, pacato agmine, venientem Carolum, Hadrianus Pontifex hujus nominis primus, excepit, Eundemque pulcherrimis, ob merita in Romanam ſedem, decretis ornatum dimiſit; Saxonicum deinde bellum ab eo repetitum eſt, cujus cauſa fuit rebellio, abſente enim Carolo, omnia ad Rhenum uſque Saxo vaſtaverat. Hoc defunctus bello, Bavarorum Duci pacem ſanxit: Cum eodem poſtea bellum repetens ob non datos obſides, quos priore fœdere promiſerat Bavarus. Poſt receptos in deditionem Bavaros, Sclavi, Iſtri accolæ bello petiti. Gentem hanc æſtate unâ perdomuit. Poſtea Hunnos, qui & Hungari jam appellari cœperant, adortus, inſigni clade affecit, ac mox in deditionem acceptos humaniſſime tractavit. Jam tot clarus victoriis, tot ferociſſimarum gentium domitor Carolus, Francofurtum ſæpè ad feſta celebranda eſt profectus. Hic ab eodem indicto multorum conventu antiſtitum, Feliciana eſt damnata hæreſis, quæ Sanctorum imagines abrogari contendebat.

CAROLUS MAGNUS A LEONE TERTIO Pont. Rom. Imperator declaratur. §. 14.

ROmanus Pontifex Leo tertius, qui Hadriano ſuffectus eſt, dum conſiderat Regis Caroli & progenitorum ejus, maxima extare in eccleſiam merita, & Imperatores Conſtantinopolitanos ægre tantum nomen defendere ac tueri, maximo totius populi conſenſu atque rogatu, Carolum in urbem

reverſum, imperatorem Romanum declaravit, & inunxit, ter acclamante univerſa multitudine: Carolo Auguſto à Deo coronato, magno & pacifico Imperatori, vita & victoria.

§. 15. DE VXORIBVS ET LIBERIS *Caroli Magni.*

TRes habuit in vita uxores, prima fuit Hildegardis nomine, ex qua tres illi ſunt nati filij, Ludovicus, Pipinus & Carolus, poſtea Wormaciæ in Germanis, nupſit ei filia Rodolphi comitis Franciæ orientalis, huic Faſtradæ nomen, ex qua duas ſuſtulit filias, unam Theoderatam, Hiltrudem alteram. Mortua Faſtrada Lutgardam duxit, ex qua liberos non ſuſcepit.

§. 16. DE FVNDATIONE PARISIENSIS SCHOLÆ, *& morte Caroli Magni.*

JAm imperator Sacratus, Eccleſiæ ac pontificiæ dignitatis patrocinio ſemel ſuſcepto, Campulum quendam, & Paſcalem impietatis reos extremo ſupplicio admoturus erat. Sed pontificis rogatu, pœna illis remiſſa: utrunque in Galliam relegavit. Bonarum artium ſtudia quum indulgentiſſimè foveret, Pariſij divinæ humanæque ſapientiæ ſcholam, & item alteram Ticini inſtituit. Junioribus orbatus filiis, Pipino Mediolani, Carolo in Germania, Ludovicum, quem virilis ſtirpis unicum jam habebat, celeberrimó totius Galliarum populi conventu, conſortem imperij declaravit. Quumque reliquum vitæ tempus, quod dederunt ſuperi, in ocio egiſſet, febri tandem & lateris doloribus obiit, anno ætatis ſeptuageſimo primo. Aquisgrani ſepultus, in templo à ſe conſtructo. Monumento ejus inſcriptum: Caroli Magni Chriſtianiſſimi Romanorum imperatoris corpus, hoc conditum eſt ſepulchro.

DE PRODIGIIS QVÆ MORTEM *Caroli Magni præceſſerunt.* §. 17

MOrtem ejus præceſſit deliquium ſolis, idem annus quo princeps tantus ex humanis deceſſit, lunam ter vidit obſcuratam. Aquisgrani in templo icta fulmine pila concidit. Eodem loco & porticus à palatio ad templum ducens, corruit. Pons quem idem Carolus Moguntiæ ædificaverat, igne totus conflagravit.

DE STATVRA CAROLI MAGNI. §. 18.

COrpore fuit amplo & robuſto, excelſa ſtatura, oculis prægrandibus, ac vegetis, hilari facie. Inceſſus illi firmus, & tota corporis habitudo virilis. Clarior vox, quam ut corpori tanto conveniret, proſpera valetudo, præterquam quod proximo ante obitum quadriennio ſæpius febri ſit conflictatus.

DE FACVNDIA ET STVDIIS *Caroli Magni.*

DIcendi facultate multum valuit ac præſtitit, nec latini ſermonis peritia contentus, etiam peregrina ſtudia ſectatus eſt. Græca tamen intelligebat melius quàm interlegendum pronunciabat. Liberalium artium ſtudia indulgentiſſimè fovit, impenſiſſimè adamavit, earumque profeſſoribus honoris plurimum exhibuit. In Græcis percipiendis operam dedit Petro Piſano cuidam. In cæteris diſciplinis, Rhetorica, Dialectica, & Aſtronomia præceptore eſt uſus Alcuino Britanno, quem virum in primis coluit. Mirum fuit in eo venandi & equitandi ſtudium, exercuit & corpus frequenti natatu.

DE

§. 20. DE CVRA EIVS CIRCA LIBERORVM *profectum.*

Filios doctiſſimis erudiendos tradidit præceptoribus, ampliſſima promittens atque diſſolvens ſalaria. Neque enim ignorabat quo quiſque eruditior eſſet, eo faciliorem clarioremque doctrinam miniſtrare, neque parentum nomine dignos judicabat, qui agros, qui vineta, qui jumenta quoque pluris facerent quam filios.

§. 21. DE TEMPERANTIA CAROLI MAGNI *in cibo & potu.*

Cibi erat valde temperans, quanquam jejunia corpori ſuo noxia querebatur, vini tam parcus, ut non amplius ter, quater, ad cœnam aut prandium biberet. In cibo ferinam carnem aſſam maxime appetebat, convivia rarius agitare, ac non niſi feſtis diebus. Traditur & illud, nunquam eum ſine docto colloquio aut hiſtorica lectione cibum cepiſſe. Quum ſemel optaſſet ſibi, ac ſæculo ſuo duodecim viros Hieronymi & Auguſtini ſimiles, adſtans forte præceptor Alcuinus: Tu vis, inquit, habere duodecim, quum ipſe Chriſtus cœli ac terræ dominus horum ſimiles, eâ tempeſtate plures non habuerit.

§. 22. DE PIETATE IN DEVM, ET CLEMENTIA *erga proximum.*

Pietatis ac religionis Chriſtianæ tam diligens cultor fuit, ut non tantum miſſis, & ſacrorum intereſſet horis, ſed & hymnos & pſalmos interdum caneret, ceu ex initiatis ac ſacrificis unus. Templa divis erexit, veram religionem obſervavit etiam in minimis; Injurias illatas civili animo tuliſſe, in hoſtes raro acerbius ſæviſſe traditur,

DE

DE LUDOVICO PIO, SEXTO DUCE *Brabantiæ ac filiis ejus.* §. 23.

CArolo patri demortuo ſucceſſit Ludovicus, tanta vir clementia, ut inde pij cognomen ſit adeptus. Aquisgrani poſt obitum parentis optimi, cum legatis gentium diverſarum, pax nova eſt ab eo ſancita. Filios habuit Lotharium, & Pipinum, hunc Aquisgranis, alterum præfecit Bavaris.

DE BELLIS AB EO GESTIS. §. 24.

CUm Dacis bellum geſſit. Vaſcones opera Gallorum ad imperium retraxit. Britones, qui res novas moliti, novum ſibi regem creaverant, vicit. In prælio captùm Murmanianum (is regis nomen invaſerat) occidi juſſit. Hoc imperante, Roma caput gentium à Saracenis obſeſſa eſt, vaſtata & omnis Tuſcia; donariis & ſacra veſte ſpoliatum Caſſinenſe monaſterium; omnia rapinis & incendiô fœdata ſunt.

DE MORTE ET DECRETIS *ejus.* §. 25.

DEceſſit Ludovicus anno imperij XXVI. ſepultus Metis, qui tota vitâ paternam æmulatus pietatem ſanxit, ne ſacris initiatus hominum ſervitio ſe ſubjiceret. Quàm turpe eſt enim aulicis eſſe à ſcopis, à matula, a poculis, vel cum mulieri ante ambulare, ad cujus verba in ſacrificio panis convertitur, non ſolum in hominem, ſed quod humanum intellectum ſupergredi videtur, in Deum. Sanxit & illa, ne ſacerdos quæſtui ſeſe ulli dederet, quum omnis ipſi ordini turpis eſſet quæſtus: Eodem auctore ſtatutum Aquisgrani Antiſtitum celebri conventu, *Anno* 814. ne ſa-

ne ſacerdotes purpura, ſerico, aut gemmatis annulis uterentur. Natis Carolo Franciam, Ludovico Germaniam, Lothario imperium cum Italia reliquit.

§.26. *DE GODEFRIDO BARBATO SEPTIMO Brabantiæ Duce & bellis ab eo geſtis cum Arnouto Grymbergenſi principe.*

QUæ poſt Ludovici Pij principatum geſta ſunt, uſque ad tempora Godefridi Barbati Ducis, qui Brabanticam terram ab Arduennæ Principibus occupatam, primus recuperavit ea, haudquaquam incorruptis rerum geſtarum monimentis tradita, nec affirmare nec refellere ſtatui. Hæc quæ ſequuntur & rerum novitate, & varietate exemplorum, non modo delectare poterunt, ſed & prodeſſe lectori. Godefridus igitur poſt Brabantiam armis ac viribus recuperatam, bellum indixit Arnouto principi Grymbergano, qui cum eſſet longe ditiſſimus, & magno vir animo, Godefridum agnoſcere ſuperiorem recuſabat. Hinc mucronibus, verutis, ſecuribus acerrime inter eos certatum. Vicit tandem Arnoutus. Poſt illa quoque dum hoſtiliter ſæpius congrediuntur, haud uno loco multum ſanguinis humani effuſum eſt.

§.27. *CVR DICTVS SIT BARBATVS, ET DE AMORE ſubditorum erga eum.*

GOdefrido principi natu grandiori cognomen barbato fuit, promiſerat enim patri ſe non ante poſiturum barbam, quam adeptas recuperaſſet provincias, Lothoringiam & Brabantiam. Hunc principem nobilitas univerſa plurimum dilexit, nec pauci quoque reges ipſius amicitiam per legatos petiere. Nam erat & miti vir ingenio, & ab omni flagitio ac tyrannide abhorrens. Conſuluit ſuorum commodis, propria

Princeps eſt propter ſubditorum

propria negligens, vigilabat, ut ſuis dormire liceret, laborabat ut ſui in ocio vitam agerent, beneficiebat ingratis, etiam non intelligentibus ac invitis. *commoda, non e contra.*

DE PIETATE GODEFRIDI, I. & morte. §. 28

MAgnum fuiſſe in illo pietatis ac religionis ſtudium, indicio ſunt tot locis ex ejus ære conſtructa & erecta monaſteria. Lovanij quoque extra muros Porcenſe monaſterium hujus eſt opus, quod poſtea patrum ſtudio optimorum & agro & ædificiis ditatum eſt, cura vero Prælati; eſt ut in eadem domo & moribus & rebus agendis, omnes cogitationes, omnia ſtudia deſinat, ut & parta, quæſitaque à majoribus tueatur, & ſummo Judici rationem exacturo probetur. Mortuus hic Godefridus, ſepelitur Affligenij, quod cœnobium inter Bruxellam & Aloſtum urbes viſitur, ubi eſt hodie fratrum pie ſancteque operantium cœtus.

DE GODEFRIDO BARBATI FILIO, & bello ejus cum Henrico Limburgiæ principe. §. 29.

POſt defunctum Barbatum filius ejusdem nominis poſtea quam annum rexiſſet unum, eſt cum validâ manu profectus contra Henricum Ducem Limburgiæ, qui Lotharingiam ingreſſus, late omnia cædibus & rapinis fœdabat. Godefridus Divi Trudonis oppidũ, cujus cives ab Henrici partibus ſtabant, circumſedit, ac omni telorum genere ſæpius oppugnatum, poſtremo in deditionem accepit, oppidanis pollicentibus, ne graviora paterentur, ſe imperata facturos, quibus & venia data eſt, & mutati renovatique magiſtratus, ejectis Henrici fautoribus & amicis.

§. 30. DE PROFECTIONE GODEFRIDI II. *Aquisgranum & bello Grymberganico.*

Hinc citato agmine, Dux Aquisgranum proficiſcitur, atque in urbem admiſſus, biduum in Cæſario conſedit ſolio, civesque compulit ut ſecum arma caperent, ita brevi devictis ac profligatis Henrici copiis, Godefridus cum victore exercitu in Brabantiam rediit. Non multo poſt & Grymberganicum geſſit bellum, ſed damno majore quàm fructu. Grymbergani enim principes hic omnia recuperavere, quæ Barbatus illis ademerat. In chronicis quibusdam legi; per hæc tempora in agro Lovanienſi, nocte quadam melle roraſſe. *Ros melli.* Moritur inde princeps Godefridus, quum triennio & menſibus aliquot præfuiſſet. Lovanij ſepultus in æde Apoſtolorum principi ſacrâ.

§. 31. DE TERTIO GODEFRIDO SVPERIORIS *filio, in cunis deportato in aciem,* IX. *Duce Brabantiæ.*

Proximi Ducis filius Godefridus, nondum erat annum vitæ primum egreſſus, quum pater deceſſit. Itaque Grymbergani principes, qui cum patre & item avo hujus, gravia bella geſſerant, infantiam Ducis pupilli contemnentes, rebellare cœperunt; late vaſtatus ager Brabanticus. Netelaria arx everſa & ſolo æquata eſt. Haud longe diſtabat hæc domus à Vilvordia, quæ & ipſa tunc temporis non oppidum, ſed pagus injectis ignibus conflagravit. Tam atroci injuria commoti nobiles Brabantiæ cum validiſſimo exercitu hoſtem inſequuti, ad pugnam evocaverunt. Priusquam dimicari cœptum eſt, infans Dux in cunis prolatus; & ante aciem poſitus traditur, ut acriùs pugnarent Brabanti. *Incitamentum ad pugnam.* Quum igitur miſeratio eos infantis

infantis pueri teneret, quem ſi bello victi forent, captivum ex duce facturi videbantur, jis animis hoſtem ſunt adorti, ut magna cæde Grymberganos fuderint. Idem multis retro ſæculis fecerant Macedones cum Illyricis dimicaturi.

DE MATRIMONIIS GODEFRIDI TERTII, & liberis. §. 32.

GOdefridus pupillarem egreſſus ætatem, in matrimonium recepit Margaretam Henrici Limburgiæ filiam; ex qua ſuſtulit filios duos, Henricum, qui defuncto patre ſucceſſit princeps; Albertum poſtea Antiſtitem Leodinorum, & filiam unicam Aleydam, quæ Regi nupta eſt Angliæ. Poſt obitum Margaretæ duxit alteram, cujus nomen in chronicis non invenio; comitis filiam; ex qua natus Guilielmus.

DE PRODIGIIS ILLIUS TEMPORIS, & morte Godefridi. §. 33.

HUjus principis temporibus, non uno loco fame laboratum, multaque prodigia hominum animos conturbavere. Terra horrende mota locis aliquot; tres lunæ in cœlo, ac totidem viſi Soles. Dux Godefridus, tertio & quadrageſimo adminiſtrationis anno, in humanis eſſe deſiit. Corpus ejus Lovanij auguſtiſſimo urbis templo; quod Barionæ eſt, illatum, ibique honorifice ſepultum.

Fames Terræ motus, Tres Lunæ.

DE MATRIMONIO HENRICI PRIMI, Ducis Brabantiæ, X. & liberis ejus. §. 34.

HEnricus primus hujus nominis, proximi filius Godefridi Brabantiæ ducis patri demortuo ſucceſ-

ſucceſſit. Uxor ei contigit Machteldis Boloniæ comitis Matthæi filia, ex qua tuliſſe traditur filios duos, Henricum qui poſtea præfuit, & Godefridum, filias vero quatuor, è quibus natu maxima, cui Mariæ nomen erat, nupſit Othoni quarto Cæſari. Tres aliæ ſunt Principibus traditæ minoribus.

§. 35. *DE REBVS GESTIS HVIVS HENRICI, & invaſione Leodij.*

ANNO ſuæ gubernationis ſecundo, Henricus evertit arcem quæ vulgo Duras nominabatur. Eandem ſexto poſt anno rurſus inchoatam à fundamentis magno ſumptu abſolvit. Poſtea circunſeſſum ab eo, & oppugnatum eſt divi Trudonis oppidum. Hujus cauſa belli non traditur ſatis dilucide ab his, quos in hiſtoria ſcribenda ſequimur. Idem cum Metenſis urbis archiepiſco Hieroſolymam proficiſcens, Chriſtianorum adverſus Turcarum gentem princeps declaratur. Hujus itaque ductu, Baruth civitas opulentiſſima vi capta eſt, cæde profligatis Turcis. Nec multo poſt & hoc juvante Conſtantinopolis expugnatur, quibus ita proſpere geſtis, magnam conſecutus celebritatem nominis rediit in Brabantiam. Anno principatus ſui xviij, congreſſus eſt cum Florentio, id temporis comite Hollandiæ, & Othone Gelrio, utrunque cepit eo prælio. Utrunque poſt compoſitam pacem, generum ſibi aſcivit. Suſceptæ adminiſtrationis anno xxviij. ex totâ Brabantiâ militem ſtipendio conduxit, cum quo Leodium profectus, urbem dies aliquot bellicis operibus extra intraque ferociter oppugnatam cæpit. Multi mortales omnis ſexus intra muros cæſi ab irato milite, multi non ſolum natu grandes, verum & pueri in amnem præcipitati. Hinc converſus hoſtis ad templorum ſpoliationes, altaria quoque tinxit ac fœdavit humano ſanguine, ut

Remedia pacis inter inimicos matrimonia.

nuſquam

nuſquam non extarent ejus inſaniæ veſtigia. Tongrinum quoque direptum ac flammis datum, & vaſtatus ager. Sed revertentem exercitum, juſta Numinis irâ felicitas prior deſeruit. Cùm armatâ enim manu Leodienſium Antiſtes inſequutus & acie congreſſus, duo Brabantorum millia occidit, qui magna parte Lovanienſes erant ac Lyrani, multos etiam captivos abduxit. Henricus & ipſe periclitatus, ægre cum paucis effugit. *Non diu florent qui Templa ſpoliant.*

DE ALTERA VXORE HENRICI, & obſidione Bruxellæ, per Hollandiæ & Flandriæ Comites, §.36.

UXorem deinde duxit Mariam Philippi Gallorum Regis filiam, quum priorem Machtildem ex morbo amiſiſſet. Non multo poſt Bruxellæ oppido Brabantiæ agentem eum gravi obſidione ſunt adorti Comites Flandriæ ac Hollandiæ, & Saelbergi Princeps, frater hic erat Anglorum Regis. Cauſam obſidionis invenio fuiſſe, ne Henricus ſocero Gallo, cum quo his bellum gerebatur, auxilium ferret. Hoc loco majore aliquanto obſidentium ſtrage pugnatum, & quum dies aliquot vim hoſtium fortiter ſuſtinuiſſet Henricus, animo repente mutato Flandrorum Comiti promiſit nunquam ſe poſt illa, nec bellico apparatu, nec pecuniâ opitulaturum Gallo, atque ita compoſitis & pacatis omnibus ſoluta obſidio eſt. *Pax ſecurior bello.*

DE NVPTIIS OTHONIS QVARTI imperatoris, & bello indicto Gallorum Regi. Poſtremò de morte Henrici. §.37.

ANNO ab humanæ ſalutis exordio, M. CC. xiiij. Imperator Otho nominis hujus quartus, Trajecti ad Moſam, duxit uxorem Hentici Brabantiæ Principis filiam Mariam. Gallorum regi poſtea 12.14.

 bellum

Bellum caſaru contra Gallos. bellum unà cum Flandriæ comite indicit, ad quod gerendum adjumento fuit Henricus. Itaque cum ingentibus copiis egreſſi, caſtra fecêre non longe à Tornaco. Gallus ubi videret longe ſe viribus imparem; dicitur ſacram ingreſſus ædem lachrymantibus oculis, in cauſa juſtiſſimâ divinum imploraſſe auxilium. Sequutus inde cum robore copiarum ad hoſtem ſuum pertendit. Hic pugna acerrima pugnata eſt, tegi cœlum telis volantibus, equorum ſtrepitu, concurſuque; terra horrende mota eſt. Innumeri hoc prælio cecidere, crudelis ubique luctus, ubique pavor, & plurima mortis imago. Galli ad poſtremum egregiè vicere, captis etiam quatuor exercituum ducibus, inter quos Flandriæ comes; Otho autem imperator; & Henricus viri impigri, quum ſtrenue aliquandiu reſtitiſſent hoſti; amiſsâ exercitus parte; cum paucis fugâ elapſi, conſulunt ſaluti ſuæ. Non multo poſt Henricus & fidei hoſtibus cæſis; Principatum ſuum memorabilem reddidit. Anno proxime inſequenti, morbo correptus graviſſimo; Coloniæ Agrippinæ fatalem obiit mortem, quum annos quadraginta octo rerum potitus eſſet. Corpus illatum ſepulchro Lovanij in æde ſacra Petro apoſtolo; viſitur erectum medio choro monumentum.

§. 38. DE HENRICO SECVNDO XI. DVCE *Brabantiæ & liberis ejus. Item cœnobium Vallis ducis apud Lovanium.*

Matrimonia Regum & Magnatum cum Ducibus Brabantiæ. DEfuncto patre; Brabantiæ principatum tenuit Henricus filius, quem magnanimum video à quibusdam appellatum. Ex Mariâ uxore quam acceperat, Philippi Romanorum Regis filiam, nati huic filius nomine paterno, & filiæ quatuor. Natu maxima, quæ Machtildis vocata eſt, nupſit tunc temporis Gallorum Regis Fratri. Altera in baptiſmo nomi-

nominata Maria virum habuit Ducem à Beyeren. Tertia Beatrix in matrimonium collocata Thuringiæ Lantgravio (ea eſt dignitas apud Germaniæ populos.) Omnium natu minima , cui Margaretæ nomen fuit, monaſticam vitam amplexa, claruit ſanctitate in cœnobio Bernardini ordinis, locum nominant Vallem ducis , Lovanio diſtantem leucis duabus, regione amœniſſimam. Condidit hoc monaſterium Henricus ſecus, de quo nunc agimus , videturque ſumpſiſſe appellationem Ducis à conditore. Poſt obitum Mariæ duxit aliam uxorem nomine Sophiam, clariſſimis ortam natalibus. Quæ mulier per omnem vitam pauperibus & egenis multa diſtribuit. Eadem peperit Henrico filium, qui & ipſe à ſacro fonte paternum accepit nomen. *Amor erga pauperes.*

DE BELLIS AB HENRICO II. *Geſtis.* §.39.

HIc princeps ad Rhenum, ad Moſam geſſit bella diverſa. Coloniam gravi obſidione fatigavit, non potuit tamen expugnare. Cum cæde igitur ſuorum inde rejectus , incenſis omnibus villis ac ædificiis, quæ circa urbem viſebantur, abiit. Henrici cujus temporibus vixerunt, Albertus cognomento magnus , Thomas Aquinas prædicatorij ordinis, viri ambo inſignes. In Colonia Agrippina ille, hic Pariſij profeſſus ſacras literas.

QVOMODO ROMANVM IMPERIVM *ſibi delatum recuſaverit, & morte ejuſdem.* §.40.

INnocentius quartus Pontifex Romanus, ubi Fridericum ſecundum, hominis (ut quidam ſcribunt) ſiditatem pertæſus , abdicaſſet imperio, ad Henricum Brabantiæ ducem literis datis , eum rogavit, *Humilitas Brabantia.*

ut rerum imperij gubernationem ſuſciperet. Quod Henricus fortunâ contentus ſuâ recuſavit. Guilhelmum Hollandiæ Comitem ac ſibi ex ſorore nepotem Romano Pontifici commendans, quæ commendatio effecit, ut poſt Henricum Thuringiæ Lantgravium, qui Friderico ſucceſſit, Guilielmus ſit Romanus rex declaratus. De cujus cæde apud Phryſios dixi in eo libello, quem de Hollandiæ comitibus ſeorſum ædidi. Henricus de quo agimus hoc loco ingentis animi princeps, vita functus eſt anno gubernationis Brabantiæ vigeſimo ſecundo. Corpus ejus ſepulchro illatum in monaſterio, quod lingua noſtrate Vileer dicitur.

§.50. DE HENRICI TERTII DVCIS BRABANTIÆ XII. *Vxore, & liberis.*

Matrimonium inter Brabantũ & Burgundam.

HEnricus tertius, qui patri ſuffectus eſt, junxit ſibi matrimonio Aleydem Burgundiæ Ducis filiam. Ex qua ſuſcepit filios tres, Henricum, Joannem, Godefridum, filiam unam Mariam, quæ poſtea nupſit Gallorum Regi Philippo nominis hujus tertio.

Virtutes Principum.

Præfuit hic princeps ut bonus rector, benignus vir, ac facilis, & ad promerendam omnium gratiam natus. Pacem toto adminiſtrationis tempore coluit. Sed optimum ac nobiliſſimum Ducem, invidentia fata è medio ſuſtulerunt, quum annos rexiſſet tantum tredecim, (Uxor poſtea aliquamdiu ſanctiſſimè adminiſtravit, filiis adhuc impuberibus) ſepultus Lovanij in cœnobio à ſe condito Prædicatorum, ad partem dexteram aræ maximæ.

* * *

DE

DE PRINCIPATU JOANNIS XIII. DUCIS, *qui erat ſecundus Henrici filius, & diſcordia inter Lovanium & Mechliniam.* §. 51.

ANNO ab obitu Henrici octavo, Primores civitatum Joanni ſecundo filio principatum Brabantiæ deferunt. Nam Henricus natu maximus, ob naturæ vitia quædam, idoneus non erat ad gubernandum. Hic poſtea conſilium ſecutus Mechlinienſium Principis, viri prudentis, vitæ dedidit ſe monaſticæ. Unde maxima eſt orta diſcordia, inter Lovanienſes & Mechliniæ principem. Lovanij cives injuriam factam Henrico dicebant, qui ſi parum erat ipſe idoneus ac habilis ad gubernandum, per alios rerum peritos viros gubernare potuit. Hæc tum erat ſententia Lovanienſium. Paulatim res eo proceſſit, ut & portas claudere ſint auſi, cum matre Aleyda appropinquanti Joanni. Per idem tempus exiſſe traduntur Lovanienſes in agrum Mechlinienſium, ferro flammaque omnia conculcaturi. Quod cum princeps loci audiſſet, confeſtim egreſſus cum ſuis, ad pugnam ſe expedivit. Certatum eſt atrociter ac tandem inclinavit eo victoria, unde plus roboris fuit, Auxiliaribus urbium aliarum copiis adjutus Mechlinienſis, Lovanienſem fundit, fugatque.

Natu major monaſticam ſequitur vitam.

DE UXORIBUS AC LIBERIS IOANNIS XIII. Ducis. §. 52.

POſt hæc Joannes Lovanij quoque principatum ſuſcepit. Margaretam Philippi Galliarum Regis filiam in matrimonium acceptam, dilexit unice, quæ poſtea doloribus partus extincta eſt. Inde duxit alteram ejuſdem nominis, filiam Guidonis Flandriæ Comitis. Ex qua tulit filios, Joannem & Godefridum, quem amiſit admodum juvenem. Natæ filiæ totidem, quarum uni Margaretæ, alteri Mariæ nomen inditum eſt.

Matrimonium cum Regina Galliæ.

§. 33. *DE BELLO GESTO CVM ARCHIEPISCOPO Colonienſium, & Ioannis victoria.*

OBierat mortem Henricus Lymburgiæ Princeps. Quo nuncio ad ſe perlato, Joannes dux Brabanticus, eo ad publica negotia componenenda proficiſcens. (Emerat enim legitime eam terram) Gelricorum comite Raymundo objiciente ſe cum haud invalida manu, ad exitum perducere non potuit, quod animo conceperat. Magno ſtudio contrahebat undique auxiliares copias. Geldrus ad bellum inferendum Brabanto, in ſociis erant Colonienſium archiepiſcopus, Henricus comes Lucenburgenſium, Walranus Valkenburgus princeps. Quæ conſpiratio tantum abeſt, ut deterruerit Joannem, ut confeſtim etiam cum armato milite, in archiepiſcopi loca tumultuoſe irrumpens, omnia late vaſtaverit. Pax deinde, ſed fruſtra mota eſt. Ægerrime ferebat dux Joannes, quod Trajectum ad Moſam (qui componendæ pacis locus fuerat conſtitutus) Gelriæ princeps venire contempſiſſet. Ad hæc nunciabatur, eundem Lucenburgenſium comiti, accepta ingenti pecunia Gelricam terram vendidiſſe. Joannes igitur irarum plenus, cum multitudine armis inſtructa, in terram Valkenburgenſium proficiſcitur Colonienſem (cui maxime infenſus erat) obſeſſurus. Ille verò ubi vidit hoſtem ſibi imminere, fugam cœpit. Quem dux per montes ac ſylvas inſecutus omnem ipſius terram eſt fœdiſſime depopularus. Brevi poſt Coloniæ civium, & principis Juliacenſis rogatu venit ad obſidendam arcem Woronc. (ita enim vulgo dicebatur.) Nam hinc quotidie ſceleratorum manus excurrens, pecunia negociatores, aliiſque mercibus exuebat, quæ res multum incommoda fuit circumnectis emporiis. Ad arcendum ducem, Colonienſis validiſſimum

paucis

...is diebus contraxerat exercitum, & auxilia ab his, qui Joanni ex confeſſo adverſabantur. Jam non procul aberat hoſtis ab arce. Quum certior factus de ejus adventu Brabantus, magno animo proceſſit obviam, ſuosque brevi oratione, ut eo die ſtrenuam ſibi navarent operam, hortatus canentibus ſignis in adverſam procurrit aciem. Sequutus miles ferociter dimicat, protractaque in veſperam pugna, vicit tandem Brabantus. Ceciderunt ex ducibus, qui antiſtiti venerant auxilio, Henricus Lucenburgenſis princeps, fratres ejus tres, & alij plerique illuſtres viri, antiſtes captus, & cum eo tota fere nobilitas. Cæſæ multitudinis numerus, parum iniri potuit. Satis conſtat multo plures ex archiepiſcopi exercitu quàm Brabantico cecidiſſe. Hanc victoriam adeptus Joannes, arcem diruit, dirutam ſolo æquavit.

DE ANIMADVERSIONE IN *quendam Petrum, cognomento Broſenium.* §.94.

Bleanio poſt, prædives quidam in Gallia Petrus cognomento Broſenius, Joannis hujus ſororis (quæ Philippo tertio Gallorum regi nupta erat) amore incenſus, quum illa ſemper congreſſum ejus declinante, libidinem ſuam explere non poſſet, eam apud regiam majeſtatem, cui longe chariſſimus erat, criminis detulit, neſcio quid commentus fœminam perpetraſſe, tantumque effecit, ut juſſu regis in cuſtodiam abducta de vita periclitaretur. Ad quem tam atrocem nuncium excitus Joannes, Pariſium properat, ubi ſoror cuſtodiebatur, hic re diligenter inveſtigata, & ſororem falſo delatam liberat, & Petrum delatorem laqueo necat.

§. 55. *DE OBITU ALEIDÆ CONIUGIS Henrici tertij.*

ANNO qui erat ab ortu Chriſti, M. cc. lxxxiij. moritur illuſtriſſima mulier Aleydis, mater Joannis ducis & uxor tertij Henrici, ſepulta Lovanij penes Dominicanos. Hæc mulier omnibus officiis benevolentiæ proſequuta eſt Thomam Aquinatem, prædicatorij nominis virum, ad quem Pariſij agentem frequenter ſcripſit, conſulens eum per literas, quibus rationibus in hoc mortalitatis pelago, cœleſtem ſibi patriam demereri poſſet. Joannes inde filiam ſuam Margaretam virginem egregiâ forma nuptum dedit Henrico Lucemburgenſium Comiti, ejus Henrici filio, qui in pugna fortiter occubuit, non procul ab arce Weronc. Junior hic Henricus VI. poſtea Romanorum imperator, in Italiam tranſcendit.

§. 56. *DE NUPTIIS FILIÆ ANGLORUM REGIS, & morte Ioannis ducis.*

HAud multo poſt celebratæ magno apparatu nuptiæ Anglorum Regis filiæ. Ad quas Joannes quoque profectus cum pulcherrimo equitatu, incredibili omnium lætitiâ excipitur. Per eos dies, ut in publico gaudio fieri ſolet, concurſum eſt haſtis. In quo certamine Dux idem, dextro brachio, lætale vulnus accepit, ex quo paucis poſt diebus, vita deceſſit. Cujus morte vulgata, major quàm credi poſſit luctus, totam Brabantiam occupavit. Egerat enim clementem, pium, & beneficum principem: & defuncti corpus advectum Bruxellam ſepelitur in æde ſacra Minoritanorum, qui per ea tempora viri erant multum Chriſto dediti, ut religioſos & clericos decet, non miſcentes ſe Mundanis negotiis.

Occubuit in haſtiludio.

DE

DE IOANNE SECVNDO DVCE XIV. & matrimonio ejus. §.57.

PAtre mortuo, Joannes ſecundus principatum adeptus, filiam regis Anglorum Eduardi primi in matrimonium accepit. Huic nomen erat Margaretæ, ex qua genitus filius Joannes III. Luculentum in arce Vuerenſi deambulatorium (vulgus aulam dicit) hûjus principis eſt opus

DE BELLO PHILIPPI IV. REGIS GALLORVM adverſus Flandros. §.58.

IN hunc principatum incidit atrox bellum quod Philippus hujus nominis quartus, Rex Galliarum geſſit adverſus Flandriæ populos. Cauſa belli fuit, quod Guido ejus terræ Princeps filiam Philippam, quam de ſacro fonte levaverat Gallus, filio Eduardi regis Anglorum nuptum dare ſtatuiſſet. Agebat ea tum in Galliis apud Regem ſuſceptorem ſuum. Is igitur cum conjuge, Proceribus, & manu validâ ingreſſus Flandrorum fines, complura oppida expugnat ac paucis inde diebus, totam Flandriam in ſuam poteſtatem redegit, capto prius Guidone cum filiis duobus. Flandriæ ſic domitæ atque ſubactæ, præficit comitem Jacobum quendam Simpolium. Cujus tyrannidem pertæſi primum Brugenſes, deinde cæteri omnes rebellarunt. Brugas venerat comes, animadverſurus in quosdam, qui graviter ut illi videbatur deliquiſſent, quum ſubito ad arma conſurgens multitudo pene omnes occidit. Comes ægre cum paucis evaſit. Nec multo poſt apud regem queſtus de vi illata effecit, etiam ut ex toto ſuo regno ille ad evertendam Flandriam numeroſiſſimum conſcripſerit exercitum, cui præfecit comitem Artheſiæ, virum acri ingenio & gloria militari florentem.

Inſufficiens ac Injuſta cauſa belli.

Pervenit

Pervenit is cum omnibus copiis in agrum Cortracinum, ſperans fore ut brevi omnia ejus terræ oppida caperet. Sed ut in cæteris rebus, ita in bello maximè ſolet variare fortuna, duces exercitus Flandrorum, ſuos hortati, ut pro ſe, pro conjugibus, pro liberis, & bonis ſuis omnibus fortiter dimicarent, cum hoſte confligunt, fit atrox prælium. Flandrica gens pro libertate, pro aris & focis dimicans, aut moriendum putat, aut vincendum, iis erat injunctum, ut initio pugnæ fuſtibus & haſtilibus majoribus Gallorum equos occiderent, quod cum ſtrenue faciunt, adepti ſunt victoriam, magna vis Gallorum perempta eſt. Quidam tradunt hic periiſſe totam fere nobilitatem Gallici regni; poſt hanc pugnam Flandri multa loca recuperarunt, quæ antea Gallus ademerat.

§. 59. *DE REDITV GALLORVM IN FLANDRIAM & præliis cum eâdem gente.*

EST non multo poſt cum novis copiis Philippus in Flandriam reverſus, ubi circa inſulas oppidum dimicatur, pluresque momento temporis utrinque cæſi ſunt. Rurſus eodem fere loco à prima luce ad veſperam, in acie continuit Flandrum Gallus, ita futurum ſperans, ut in mediis caloribus æſtatis hoſtem ſtando pugnandoque feſſum vinceret. Interim commiſſo prælio multo atrociori quàm pro numero dimicantium, plurimi ſunt in utroque exercitu occiſi, noctis interventus pugnam diremit. Inde Flandris aliis aliò ſe recipientibus, ut aquæ potu ſedarent contractam labore ſitim, Gallus ſuos in equis manere juſſos, nocte concubia eduxit; hic manum unam Flandrorum adortus ſuperior fuit. Cæſus in ea pugna Guilhelmus Juliacenſis, quem Flandri adverſus Gallicas acies ſibi ducem elegerant. Hoc ſucceſſu Philippus elatior factus, obſedit Inſulas vulgo Ryſſel adducto ſecum Guidone Comite,

quem

quem captivum habebat. Quamdiu tenuerit obſidio, & q[uo]ties oppugnare urbem ſit adortus, non traditur. Quidam ſcribunt ea conditione pacem factam, ut Gallus tantiſper oppidum Inſulenſe & alia quædam loca ſibi ſervaret, donec ſtatutum eſſet unde quotannis pactam ex Flandria pecuniam reciperet. Ita dimiſſus Guido, ſuis omnibus rediit multum expectatus; ſed brevis hæc fuit lætitia. Nam paulo poſt deceſſit admodum ſenex. *Cõditiones pacis.*

DE MOTV CIVILI MECHLINIÆ & Bruxellæ, ac morte Ioannis II. §. 59.

VAriis inde motibus agitata Mechlinia, propter ſibi ademptas libertates vendendi ſalis ac piſcium, & quoniam Imperatoris Henrici Lucenburgenſis favore Antuerpia his ipſis poſtea frueretur commodis, maximo ejus urbis odio Mechlinienſis flagrabat civitas. Auxit malum quod Joanni ad obſidendam Mechliniam; quæ prius portas clauſerat venienti; Antuerpienſes tulerint ſuppetias. Exiit hæc obſidio in aliquod ſeptimanas; per occaſionem; Interim egreſſi Mechliniani ſubito Antuerpienſium invadunt aciem, arriſitque huic fortuna conatui; nam & hoſtes cæſi magno numero, & qui exierant, ad oppidum rediere, vix paucis amiſſis. Quum igitur pergerent hunc in modum rebellare, Dux edicto prohibuit, ne quis uſquam illis commeatum impartiret, capitale futurum ſi quiſpiam hoc tentaſſet. Sed nec ita quidem ſubigi potuere; antequam ad fluvium Schaldam haud longe ab arce Reperamunda cum hoſte congreſſi prælio ſuperantur. Tum demum ſupplices ipſi, portarum claves Duci tradunt. Quibus acceptis ille partem murorum diruit, habebatque in animo totam urbem nudare munimentis. Sed acceptâ grandi pecuniâ deſtitit. Eisdemque fere temporibus eſt & Bruxellæ tumultuatum, ſed multo quàm

quàm Mechliniæ periculoſius,fabri,textores,ſutores, tabernarij, atque omnis illa fex civitatis eo inſaniæ prolapſa eſt, ut quorundam primorum ædes diruerit, non pauci ex ditioribus metu urbe exceſſerant. Princeps eâdem diſcordiâ conturbatus, Vilvordiæ (quod oppidulum diſtat Bruxellâ leucis duabus) ſe continebat cum præſidio. Effuſi quodam die Bruxellenſes,in agrum Vilvordienſem, ſub ſpecie ut à duce veniam pro rebellione peterent, aliis viſi ſunt hoſtilia omnia minari, poſteaquam armari & erectis ſignis veniſſent. Dux igitur cum paucis obviam egreſſus dimicat: Illi ſubito hoſtis occurſu vix incœpto prælio, in fugam vertuntur, quâ perculſa Bruxellenſium civitas deditionem fecit.

§. 60. *DE MORTE DVCIS IOANNIS II.*

Hic Joannes ſecundus poſt novendecim principatus ſui annos periit Vuere, innato veſicæ calculo. Sepultus Bruxellæ in templo S. Gudulæ virginis. Nullus principum ſic abhorruit à bellis gerendis; quæ tamen dum effugere non poſſet, maximo geſſit animo.

§. 61. *DE IOHANNE TERTIO, DVCE XV.*

Bono patri bonus ſucceſſit filius, tertius Joannes, natus annos duntaxat duodecim: Cujus initia principatus multum turbulenta fuere, nam propter æs alienum quod præceſſores ejus, pater & avus gerendis aſſidue bellis conflaverant, detinebantur paſſim negociatores, quod non modo privatum, ſed & publicum erat incommodum. Repperit tandem huic malo remedium humana induſtria. Sunt enim polliciti mercatores, ſi Dux permitteret, ſe quicquid deberetur adnumeraturos ſingulis è ſua pecunia, quod ubi eſt factum, licuit ſtatim unicuique quo vellet citra ullum vitæ aut bonorum diſcrimen proficiſci.

DE

DE PLVVIA DECEM MENSIVM, *caritate annonæ, peſtilentia, & cometa.* § 62.

IN ſequenti anno, qui fuit ſalutis noſtræ M. CCC. xv. Brabantia & finitimæ regiones afflictæ ſunt maximis malis. Poſt Calendas Majas orta pluvia, quæ menſes duravit plus minus decem: Ex qua intemperie, cum in agris neque frumentum, neque alia homini & pecudibus neceſſaria maureſcere poſſent, ſumma rerum omnium caritate non uno loco cœptum eſt laborari, quæ caritas progreſſu temporis adeo invaluit, ut quidam prodiderint ab homine nato majorem non fuiſſe. Mendici in viis, in portis, pro templorum foribus, inedia efflabant animas. Hanc annonam ſecuta eſt tanta peſtilentiæ vaſtitas, ut quotidie in ſingulis pene oppidis ſexageni, ſeptuagenive homines efferentur, quorum alij ſexta die, alij tertia, multi ſecunda, nonnulli ſtatim in ipſo morbi adventu extinguebantur. Multitudo omnis perterrita, in montes, ſylvas, & loca devia fugiens, vacuis errabat in agris, alij in templis divorum aris affixi, divinam implorabant opem. Hic filios, ille parentem lugebat ademptum, alius fratrem, alius ſororem deſiderabat. Explicari oratione non poteſt, quanta fuerit ejus temporis calamitas, qui gemitus, quæ lamentationes nocturnæ, diurnæque. Per eadem fere tempora obſervatus eſt in cœlo Cometes diro aſpectu, magna luce radios ſuos emittens: Hoc prodigij genus ſummis Principibus exitium, aut bellum, portendere ſolet. *Anno* 1315.

DE BELLO ADVERSVS VALKENburgenſes. § 63.

DUx Joannes tertius bellū ſuſcepit adverſus Raynoutum Valkenburgenſem, ob affectos incommodo

modo Trajectenſes ad Moſam, perductoque in agrum Valkenburgenſem exercitu obſedit florentem ac bene munitam urbem Sitterium, huc accolæ omnes pecuniam, aliaque bona ſua, ut in locum tutiſſimum deportaverant. Et intus præſidium erat militare, ducesque non pœnitendi, quorum opera & virtute ſemel à juvenibus repulſus hoſtis in caſtra rediit. Ad poſtremum tamen urbs dedita eſt, quam deditionem ſequuti Harlenſes vicini, venerunt & ipſi in Ducis poteſtatem, his peractis, copiæ in Brabantiam reductæ ſunt. Brevi poſt inter Joannem & Raynoutum pax compoſita non diu tenuit. Rurſus injuria & damno affectis Trajectenſibus, invenio poſt longas controverſias Raynoutum Lovanij cuſtoditum aliquandiu, ſed libera cuſtodia. Vixit hac tempeſtate vir ingenio & arte medendi eminens Joannes Mandevilius, patria Anglus, qui toto fere terrarum orbe peragrato, tribus eam linguis peregrinationem conſcripſit.

§. 64. *DE BELLO INTER FLANDRIÆ Comitem & Brabantiæ Ducem.*

Leodinus antiſtes quod juris habere putabatur in Mechliniensis oppidi principatu, vendiderat Ludovico Flandrorum comiti. Huic cum parere nollent cives, & legationem miſiſſent ad Brabantiæ Ducem, unâ ex parte Principem urbis, Ludovicus occupatis omnibus bonis, quæ Mechlinienſium erant in Flandriâ, bellum Joanni indixit, qui armis defenſurus illos videbatur. Cum Flandro conſpiraverant quindecim alij Principes, qui diverſis locis Brabantiam ingreſſi, late omnia ferro & igni vaſtârunt. Totos decem menſes nihil eorum quæ ad corporis alimoniam pertinent, importari potuit. Sic omnes clauſerat aditus hoſtis. Brabanti viciſſim Flandricum agrum incurſantes, univerſam terram

quæ

quæ inter Aloſtum & Teneremondam eſt, fœde populati ſunt, abactis boum, equorumque armentis. Contigit poſtea ut quingenti ex Flandria delecti equites, in Brabantiæ fines ſe receperint, Bruxellam, ut dicebatur, obſeſſuri: quo audito viginti ſex viri nobiles cum armatis civibus nocturno tempore egreſſi conſederunt, qua Flandris iter faciendum erat: Hi bene gerendæ rei occaſionem adepti, invadunt hoſtium aciem. Fit inde atrox pugna, ſed vicit Brabantus: capti centum & quinquaginta Flandri, Bruxellam adducti ſunt ad Ducem, quos ille partim Vueram, partim Lovanium cuſtodiendos miſit.

Victoria Brabanti.

DE INCENDIO MECHLINIÆ, ET PESTIlentiâ diverſis locis. §. 65.

IN hunc Principatum incidit oppidi Mechlinienſis conflagratio miſerabilis. Arſerunt inſulæ complures, & domus illuſtrium, & quicquid viſendum ac memoriabile tum habebat hæc civitas. Eſt inde pluribus locis peſtilentiâ laboratum, quâ multa hominum millia abſumpta traduntur.

DE FILIIS IOANNIS III. & morte ipſius. §. 66.

JOannis hujus tres filij, Henricus, Godefridus, & Joannes maximus natu, omnes ſine liberis extincti ſunt. Filia ejus Joanna cæteris filiabus annoſior, defuncto priore marito ſuo Guilielmo Hannoniæ atque Hollandiæ comite, nupſit Vuenceslao Joannis Bohemiæ Regis filio; hoc ita curaverat pater, futurum ſperans ut amicitiâ magnorum principum, quibus ſanguine junctus erat Vuenſelaus, longam ſuis relinqueret pacem, quod non ita evenit. Joannes haud multo poſt ex humanis deceſſit, anno principatus quadrageſimo tertio, à Chriſti ortu M. ccc. lv.

præcedaneis feriis divi Nicolai. Nobilitas mœrore affecta, corpus defuncti in monaſterio, quod belgica lingua Vileer, ſepulchro multis cũ lachrymis intulit. Amiſerat enim Principem modeſtum, juſti tenacem, & Reipublicæ gerendæ maxime idoneum.

§.67. *DE WENSELAO FRATRE CAROLI IV. Duce XVI. Brabantiæ ac motu civili apud Lovanium.*

An. 1356. POſt obitum ſoceri Vuenſelaus Principatum ſuſcepit, quo imperante Lovanium bis in motu fuit. Primum, quia præfectus urbis quendam in vinculis detineret, quem ſenatus inſontem indicaverat, piſcatorio is officio quæſtum faciebat, qui quum die quodam piſcium vim conveheret, haud longe à Lovanio hærentem forte in luto, rhedam educere non potuit, acceptum igitur ex circumjacentibus paſcuis equum adjunxit, atque ita eduxit. Poſt equo dimiſſo & in paſcua reducto, ingreſſus Lovanium, capitur à præfecto, objicitur ei quod equum illum furto abduxiſſet. Multum hinc eſt ortum mali. Pars civium ſequuti præfectum (erat illi nomen Petro Coterelio) in domum civicam irruentes, patrum primores captos, in arcem Julij Cæſaris, quæ loco urbis editiſſimo viſitur ad muros, perduxêre. Hinc plebeis magiſtratibus creatis, Petrus fecit pro ſuâ libidine omnia. Plus biennium duravit hic tumultus, quum facta pace & ad regimen oppidi rurſus aſſumptis nobilibus, qui toto eo tempore in arce captivi manſerant, Duci multa ſunt millia ex ærario adnumerata, qui & durante motu haud ſemel à Coterelio pecuniâ corruptus fuerat. Nonnulli tradunt hujus parte pecuniæ ab eo extructam arcem Vilvordianam, quæ nunc ſitu & opere eſt munitiſſima: de altero motu ac diſcordia ejusdem populi inferiùs §. 70. dicetur.

Malum regimen Præfecti.

DE BELLO ADVERSVS IVLIACENSES, & captivitate Vuenſelai. §. 68.

BEllum geſſit poſtea cum Guilielmo Juliacenſium Marchione, ob exutos pecuniâ negotiatores Brabantos, qui per terram Juliacenſem iter fecerant. Congreſſæ igitur acies maximo ardore conflixerunt. Congreſſæ igitur acies maximo ardore conflixerunt, initio pugnæ confoſſus jaculo Gelriæ Princeps, ex acie deportatur mortuus. Brabanti victores hoſte fugato, quum nihil metuerent amplius, cibo ac potu refectis corporibus, ſomno opprimuntur, oppreſſos ac altum dormientes ſubito adorti hoſtes interficiunt. Dux ipſe cnm aliquandiu ſe ſtrenue defendiſſet, capitur cum plerîſque proceribus. Nunciavit hoc fama uxori, quæ non dici poteſt quantum ex ea re dolorem animo conceperit. Audivit & Carolus Cæſar hujus nominis quartus fratrem ſuum captivum eſſe. Quamobrem convocatis imperij Principibus, agere cœpit de Gulielmo, qui captum tenebat Vuenſelaum, perjuris ſententiam bonis privando. Quare territus Juliacenſis, illum cuſtodia dimiſit, retentis adhuc proceribus. Quos ut redimeret princeps, ingentem exegit à ſuis pecuniam, quâ impetratâ & cæteris compoſitis rebus in aliquot deinde annos à bellis quievit.

DE CAROLI BOHEMI CÆSARIS adventu in Brabantiam. §. 69.

INterea Carolum Bohemum Cæſarem germanum ſuum in Brabantiam venientem, multâ lætitiâ & gratulatione Vuenſelaus excepit, prandiis ac cœnis exhibitis ſumptuoſiſſimis, interim nullo non ludorum genere in ejus honorem edito. Diſcedentem poſt aliquot dies in Galliam uſque deduxit, inter valedicendum proſpera & ſecunda omnia precatus, Bruxellam rediit.

§. 70. DE ALIA DISCORDIA CIVIUM Lovanij.

PEcuniæ exactio, cujus mentionem ſupra feci, cauſa fuit motus novi apud Lovanium, plebs conſpirans adverſus primores, omnem mutavit regiminis formam, ex ſuo corpore creatis magiſtratibus. In quo ſtatu prope exacto triennio, Bruxellæ occiditur inteſtinæ hujus diſcordiæ Princeps, quum ad conventum ab duce indictum eo veniſſet; auctor cædis fuit Joannes Calſterius vir nobilis, qui metu vulgi, Lovanio profugerat. His igitur accenſa multitudo in curiam venit, primores numero ſexdecim (ut quidam tradunt) feneſtris ejectos, alij foris manentes infeſtis haſtis excepere; cæteri ſine venia, ſine miſericordia, ſine reſpectu interfecti ſunt. Hanc ſævitiam pertæſus Vuenſelaus, copias Lovanio admovit, ut urbe captâ; civilis motus auctores ſupplicio afficeret. Poſt ſeptem vero hebdomadas in urbem quam expugnare non poterat, cum paucis admiſſus, principes ſeditionis in exilium ejecit. Unus clari nominis Joannes Suarterius, qui & ipſe plebem conciraverat, gladio ſubjectus eſt.

§. 71. DE MORTE WENSELAI DUCIS, *qui natus erat cæſo matris utero.*

HInc Bruxellam Dux reverſus quum aliquandiu ſpectaculis; equorum certaminibus, venatu & pilâ; quâ optimè luſiſſe traditur; atque aliis luſibus ſe recreaſſet; Lucenburgum proficiſcitur, ubi non multo poſt obiit: ſepultus in Oryvalenſi monaſterio, quod illis in locis antea conditum, ipſe quoque proventibus annuis ditavit. Invenio hunc cæſum fuiſſe matris utero, quæ nec ullum inde acceperit corporis incommodum.

***

DE

DE LVCTV VXORIS EIVS, ET BELLO *quod adverſus Gelriæ ducem geſſit poſt obitum mariti.* §. 72.

BRuxellæ agenti Joannæ renunciatum eſt de obitu conjugis ſui Vuenſelai, quem ut in vita multum amaverat, ita ſibi ereptum atque ſublatum diu multumque luxit. In tam gravi vulnere dolorem haud facile poſitura, niſi patriæ ſua operâ & ſtudio opus eſſe vidiſſet. Itaque gubernandi onere ſuſcepto, multa prudenter, multaque gnaviter egit. Indictum ſibi à Principe Gelriæ bellum ita geſſit, ut quum ille congredi non auderet, victrix abierit. Cauſa bello prætenſa, quod Buſcoducenſium præfectus quendam ex Gelrij Ducis familiâ parricidij convictum gladio ſubjeciſſet. Fato ac naturæ conceſſit hæc mulier nobiliſſima, humanæ ſalutis anno, M. CCCC. VJ. *An.* 1404.

QVOMODO ANTONIVS PHILIPPI *Burgundiæ principis filius, ad Brabantiæ principatum pervenerit.* §. 73.

NUnc videamus qua via, ad Brabantiæ principatum pervenerit Antonius, qui poſt obitum Joannæ adminiſtravit. Joanna tertij Joannis Brabantiæ Principis filia, uxor ducis Vuenſelai, ſororem habuit Margaretam. quæ nupta comiti Flandriæ Ludovico, filiam illi peperit ſui nominis. Hæc unum experta matrimonium, datur poſtea Philippo audaci Burgundiæ Principi, filio Joannis Franciæ Regis cognomento boni. Is igitur Philippus ex hac uxore filios tulit, Joannem, Antonium, & Philippum. Joanni utpote natu maximo Burgundiæ principatum reliquit. Antonius qui inter Joannem & Philippum medius erat filius, curante id patre, ſufficitur in Brabantiæ Ducatu magnæ materteræ ſuæ Joannæ, quæ ſine liberis defuncta erat.

Brabantia accedit Burgundis ex quorum virtuoſo ſanguine proveniunt Auſtriaci.

§. 74. DE HIS QVÆ INITIO PRINCIPATVS *fecerit Antonius.*

ANtonij patre Philippo Burgundionum Principe geniti maternum ſimul ac paternum genus ab regibus ortum. Hic à ſuſcepto Brabantiæ principatu, acerrimus extitit punitor hominum ſceleratorum, præcipue parricidarum, & Judicum qui pauperes opprimerent vel non audirent. Floruit, & in optimo ſtatu fuit res Brabantica ſub hoc principe tam ſtudioſo æquitatis, qua ſublata è medio ſtare non poteſt hominum ſocietas.

§. 75. DE MATRIMONIO ANTONII I. *Ducis, XVII. & liberis.*

IN matrimonium accepit Joannam Simpoliam, in qua muliere cum forma excellenti ac generis claritudine, probitas morum ex æquo certavit. Liberos habuit ex hac conjuge Joannem & Philippum filios & filiam quæ juvenis deceſſit. Anno gubernationis Brabanticæ primo, uxorem ex valetudine amiſit, quam quum unice ac perſeveranter vivam dilexiſſet, etiam defunctam honorificentiſſime extulit, corpus Vueram deportatum atque ibi loci ſepultum.

§. 76. DE DVODVS ILLVSTRIBVS THEOLOGIS *Aliaco & Gerſone.*

APud Pariſium eadem tempeſtate claruerunt eximij duo Theologiæ profeſſores, Petrus ab Aliaco, poſtea antiſtes Cameracenſis & Cardinalis. Alter Joannes cognomento Gerſon, ejus ſcholæ cancellarius, utriuſque ſtudiorum pie ac utiliter edita monumenta ad poſteros manarunt quæ poſt-

hæc

hæc ſingulari tractatu prælo committentur. Per idem tempus apparuit ſtella crinita, inuſitatâ magnitudine, prodigium id portendit cædem Ludovici ducis Aurelianenſis, bellum Leodinum, quæ brevi poſt ſequuta ſunt mala.

DE MOTV BELLICO EXORTO APVD Leodinos. §.77.

TOta Leodienſium regio maximis de hinc motibus obnoxia fuit, ob duos electos Antiſtites. Trajectum ad Moſam (ubi agebat electus alter) bis obſeſſum à Leodinis. Poſterior obſidio hebdomadas ſexdecim tenuit. Non multo poſt magnorum principum armis ac viribus adjutus electus qui Trajecti erat, Joannes à Beyeris contra Leodinos egreſſus, magno eos prælio ſuperavit, cæſis quadraginta milibus, & in his Theoderico Perwefio, (quem altero dejecto, illi ad epiſcopatus dignitatem provehere ſunt conati) Victor Joannes Leodium ingreditur, ſumpto de his ſupplicio qui partis adverſæ fuerant.

DE MATRIMONIO ANTONII Ducis XVII. & dote. § 78.

DUxit poſtea Antonius uxorem Elizabetam, & hanc excellentiſſimâ formâ mulierem, Bruxellæ pompâ & apparatu plane regali, in ducali domo celebratæ nuptiæ. Doris nomine accepto Lucenburgenſi ducatu. Antonius cum valido exercitu agrum ejus gentis ingreſſus, eos qui parere novo Principi recuſarent, brevi ad obſequium redegit, partim bombardarum ictibus, diſturbatis caſtellis, partim armatâ manu captis, aut igne abſumptis ac cæſis magnâ copiâ ducibus.

§.79. DE VIRTVTIBVS ANTONII, IN BELLO, & Sigiſmundo Rege Romanorum.

Laus ſtrenui militis. HIc Antonius vir acer fuit ac ſtrenuus, in excitando milite ad pugnam, nulli ſecundus, & hoſtium copiis nunquam deterritus, prælium primus inibat, victus indulgens, ſi veniam petiiſſent; in omni re agendâ ſolers, & labore infatigabilis erat: Poſt domitos atque ſubactos Lucenburgenſes, Aquisgranum venit cum decem milibus equitum, Sigismundus rex Romanus, ubi coronâ de more donatus, aliquot manſit hebdomadas, Antonij Brabantiæ principis congreſſum operiens. Qui quum non veniret (amici enim diſſuadebant) ex Aquisgrano Coloniam Sigismundus proficiſcitur. De quo principe illud in primis dignum memoria, quod ipſe ſtudio latinæ linguæ deditus, ſæpè graviter accuſaverit Germaniæ principes, qui ſermonum latinum odiſſent, aut linguæ pulcherrimæ Gallicum, aut aliud quodvis idioma præferrent.

§.80. DE CÆDE ANTONII DVCIS.

1415. *Gallos adjuvat Brabantus contra Anglos.* ANno à Chriſto nato M. CCCC XV. Angli, neſcio quam belli cauſam adverſus Gallum prætendentes, cum valida manu egreſſi, juxta Morinum conſederunt, nec multo poſt cum hoſte circa Blangium (viculus hic eſt non longe à Morino diſſitus) pugnatum utrinque cruento quidem Marte, ſed à Gallis multomagis. Periit hoc congreſſu cum multis aliis nobiliſſimis viris Antonius Brabantiæ dux, qui Gallorum regi auxilio venerat, alios in poteſtatem redactos, victor Anglus crudeliter necavit. Antonij corpus tertio die repertum inter jacentium cadavera, deportatur: exceptum primo honorifice à Tornacenſium Epiſcopo, inde Bruxellam delatum,

ponitur

ponitur in templo divæ Gudulæ ſacro. Hic celebratis de more exequiis, non ſine graviſſimo totius aulici ordinis & patriæ dolore ac lachrymis avehitur Vueram, ubi ſepulturæ datum eſt, juxta monumentum prioris conjugis Joannæ Simpoliæ, cujus fecimus mentionem.

DE IOANNE IV. DVCE 18. BRABANTIÆ, & conjugio ejus. §. 81.

DUo ſuperſtites liberi Antonio fuere, Joannes natu major, tamen annos duntaxat natus tredecim, Brabantiæ principatum adiit. Annum agens ſextumdecimum, uxorem accepit Jacobam filiam ducis Guilielmi à Beyeris, comitis Hannoniæ & Hollandiæ. Fuit aliquandiu inter eos mutuus amor. Evenit poſtea diſceſſio, cujus invenio cauſam fuiſſe, quod proceres qui marito adhuc juveni præerant, ſuo arbitrio mutata omni Regiminis forma, & ſummotis, quibus ab ineunte ætate mulier aſſueverat, pediſſequis, alias illi & ignotas dederunt. Quod, quam iniquo tulerit animo, ſatis inde colligi poteſt, quod ſub id tempus in Angliam trajiciens, illic vivo adhuc Joanne, duci cuidam Glouceſtrio nupſerit, fratri ejus qui tum in inſula regnabat. *Ex mutato famulitio, quæ mala oriantur.*

DE ADVENTV GLOVCESTRII CVM exercitibus in Hannoniam. §. 82.

TOr inde ſunt orta diſſidia, tot ſequuta certamina varioque eventu depugnata, Glouceſtrius contracto in Anglia exercitu, Caletum pervenit cum Jacoba. Inde ad occupandam uxoris nomine Hannoniam proficiſcitur. Et multa jam loca ſibi ſubjecerat, quum Joannes Dux Brabantiæ veritus ne ſimili caſu Hollandiam quoque & Selandiam amitteret, undique amicorum Principum fide implorata, *Philippus Princeps in fatigabilis.*

præfecit gubernandæ Brabantiæ fratrem ſuum Philippum. In rebus gerendis ſolertem, & laboribus infatigabilem virum. Ipſe inde profectus ab Hollandiæ, Phryſiæ, & Selandiæ populis ita excipitur, ut tam prompta humanitas & benevolentia ſingularis efficere potuerint, ut animo æquiore toleraret mala omnia, quibus uno tempore circumvallabatur.

§. 83. *DE INCVRSIONE ANGLORVM IN BRABANTIÆ agrum.*

Angli Tyranni. GLouceſtrius ubi audiſſet in Brabanti fidem ceſſiſſe, Hollandiæ ac Phryſiæ civitates illico emiſit armatam manum, quæ in Brabanticum agrum tumultuoſe effuſa, in miſeros agricolas, nullum fere crudelitatis genus non exercuit, violata templa, per omnem ſexum evagata cædes, ad ſtuprum raptæ virgines. Facti his de rebus certiores, qui primaria poteſtate in Brabantia gubernabant, Ducis permiſſu Nivellas cum inſtructo ad hoſtium motus inhibendos exercitu miſerunt principem Vueſmalium, & Joannem Glimes cognomento, qui ſtrenue defenſis finibus, interim ſæpius levia quædam prælia cum hoſte commiſerunt.

§. 84. *DE VICTORIA ADVERSVS GLOVCESTRIVM apud Braniam comitis.*

FIrmaverat Glouceſtrius militari præſidio Braniam Comitis (ita enim vulgo nominant id oppidulum) unde miles ſubinde excurrens, Brabanticum agrum ferro flammaque fœdabat. Itaque die quodam, Vueſmalius & aliquot alij cum ſuis copiis ad Braniæ muros acceſſere. Quod videntes Angli, qui locum præſidio obtinebant, plenis repente portis effunduntur, vix tentato prælio, ſimulat fugam Brabantus, donec longius ab oppido extractam

Stratagema bellicum.

videt

videt Anglorum aciem, hic circumacto celeriter agmine, in hoſtem revertitur, fuitque id prælium multo prioribus atrocius. Multi quidem Angli cæſi ſunt, multi graviter vulnerati, multi etiam capti. Cæteri in urbem trepidi ſeſe recipiunt.

OBSIDIO BRANIÆ, ET EIVSDEM *deditio*. §. 85.

NOn multis inde diebus interjectis, tota Brabantia in Anglos arma induit. Ab Trajectenſibus ad Moſam, à Philippo Burgundionum principe, qui nepos erat Ducis Joannis, ab Tornacenſibus auxiliares copiæ adfuerunt. Exercitu luſtrato, recenſa traduntur, præter Burgundi & Tornacenſium appendices, milia hominum ſexaginta. Cum his viribus, Ducis frater Philippus, rei bellicæ vir ſcientiſſimus, Braniam circunſedit, quum omnia prius circa urbem populatione & ignibus afflixiſſet. Jam compluſculos dies obſidio tenuerat, quum propius accedens oppugnare oppidum eſt adortus, etſi opere ac naturâ egregie munitum, ſtrenue autem ſe defendentibus Anglis, plurimi è noſtris muro dejecti, periêre. Noctis interventus prælium diremit. Poſtridie ab his qui intus erant pax fruſtra tentata eſt. Recurrere ad arma cupientibus Brabantis. Et jam atrocior fuiſſet hoſtem adorta oppugnatio, niſi ultro poſitis armis ſe dediſſet. Ita redactum in ſuam poteſtatem oppidum, Philippus incendio abſumpſit. Ex Branienſibus, qui fuerant defectionis ad Glouceſtrium autores, alios laqueo necavit, alios gladio ſubjecit. *Philippi peritia.*

* * *

DE

§.86. EIECTVS HANNONIA GLOVceſtrius.

Brabanti vincunt Anglos.

DEletæ atque everſæ Braniæ fama, perculſæ Hannonienſium urbes aliquot, ſtatim mutatis animis, Gloucestrium ejecere. Quo facto in gratiam ſunt à Brabanto recepti. Poſt tam lætam victoriam egreditur cum ſuis Philippus ad reliqua Hannoniæ oppida recuperanda. Sed maximo nivium caſu, & continenti pluvia repulſus in itinere ſubſtitit. A Glouceſtrio venit interim legatus, nuncians mox adfuturum illum, ut cum Philippi copiis dimicet, verùm expectatus quadriduum totum, non venit. Haud multo poſt abeuntem Brabantum, inſequuta eſt alia manus Anglorum, ut ſic improviſum opprimeret. Non eſt tamen hoc loco dimicatum, fugientibus Anglis, quum primum vidiſſent hoſtem egregie ad pugnam inſtructum.

§.87. IACOBA EX HANNONIA GANDAVVM devecta.

ANNO dominicæ nativitatis M. CCCC. XXV. Joannes IV. Brabantiæ Dux obſedit Bergas in Hannonia, ubi tunc temporis Jacoba cum ſuis manebat. Adhuc tenente obſidione Philippus Burgundiæ princeps venit Duacum, ubi colloquutus cum Joanne Duce, conſilium dedit, ut autor & cauſa belli totius Jacoba in Burgundiam aveheretur, donec Romani Pontificis decreto ad maritum ſuum ipſa redire cogeretur. Senſit agi inter Principes mulier de ſe traducendâ. Veniens igitur in exercitum Ducis, Engelbertum Naſſavium lachrymantibus oculis rogat, ut is apud Joannem principem efficiat, ut ſibi in oppido aliquo, aut arce Brabantiæ liceat manere, quod non impetravit. Devecta Gandavum, Valenſenas Dux ingreſſus, magno civium favore & officio-

Iacoba ſecũdò nupta capitur.

officiorum frequentia accipitur. Miſit poſtea Bergas Hannoniæ duos è proceribus, qui ſuo nomine & ejus urbis acciperent principatum.

DE PRÆLIO MEMORABILI IN Zelandia. §.88.

EOdem anno, menſe Julio, allatum eſt Glouceſtrio ad reparandum bellum, promiſſa ab Anglis octies centum millia aureorum, ad hæc xx. millia armatorum peditum. Promiſiſſe ferebatur & Scotus auxiliares copias. Itaque rebus aliis omiſſis dux Brabantus, Hannoniæ urbes & arces, validis firmat præſidiis, ſimul ad cognatum ſuum Burgundiæ principem literas dedit, quibus ille certior factus, Glouceſtrium ducem totis viribus bellum renovare, Joanni reſcripſit adfuturum ſe cum exercitu, ſi quid Anglus hoſtile fuiſſet molitus. Joannes quum ſe videret non ſufficere tot gubernandis provinciis, Burgundum Hannoniæ præfecit & Selandiæ. Per idem tempus Jacoba clanculum ſe Gandavo ſubduxit in Hollandiam, ubi quum facile ejus terræ nobiles viros aliquot, & nonnulla etiam oppida ad ſui obſequium retraxiſſet, intellecta re Glouceſtrius, miſit ex Anglia claſſem, In Hollandiam ductu principis cujusdam Fil Waterij, qua claſſe defenderet ſe & ſuos Jacoba. Non multo interjecto tempore, quum dux Burgundiæ Philippus, quem Joannes Hollandiæ præfecerat, audiſſet in Selandiam appulciuſſe naves Anglorum ad inſulam expugnandam, noctes dieſque itinere continuato accurrit cum manu validiſſima. Hic totis viribus uterque Dux in aciem deſcendit. Fuit ab initio anceps certamen, ad poſtremum Burgundus egregie vicit, cæſis tribus Anglorum milibus, ex omni ætatis flore ſelectis. Commiſſum eſt prælium hoc memorabile in agro pagi percelebris, qui belgicâ linguâ dicitur Brou-

An. 1425.

Jacoba aufugit Gandavo.

Philippus Burgundus vicit Anglos.

Brouwershauen, ad annum ſalutis milleſimum, quadringenteſimum, xxv. Paucis poſt diebus Romæ declaratum à Cardinalibus, Jacobam ſine juſta cauſa feciſſe cum Joanne divortium, quo accepto nuncio, Glouceſtrius aliam duxit uxorem. Jacobam tamen Joannes non recepit, poſteaquam ſupremi ordinis Antiſtibus viſum eſt ad publicam quietem conducere, ut illa ad certum tempus ſervaretur apud Sabaudiæ Ducem cognatum ſuum.

§. 89. *CONDITA LOVANII VNIVERSITAS.* 1426.

JOannes tot bellis functus, quum eſſet omnis religionis bonarumque artium vir amantiſſimus, Lovanij Gymnaſium viris undiq; doctiſſimis accerſitis inſtituit. Quidam ſcribunt eum rogatu primorum civitatis hoc feciſſe, ne inteſtinis aliquot certaminibus, diminuto civium & artificum numero, urbs in poſterum deſerta maneret. A Martino quinto, ea tempeſtate Romano pontifice impetrata privilegia, quibus uſque in hodiernum diem utitur hæc ſchola. Initio conditi gymnaſij licebat in omni genere diſciplinarum profiteri ac docere, præterquam in Theologia, ſed poſtea impetratum, ut & hujus ſtudij profeſſores, in eadem ſchola publicitus docerent. Profeſſio inchoata eſt Calendis Septembribus, aut ut quidam volunt, pridie natalis deiparæ. Anno incarnationis dominicæ, M. CCCC. XXVJ.

§. 90. *QVIBVS INCOMMODIS IACOBA HOLLANdiam affecerit.*

UNo extincto incendio plerunque naſcitur alterum. Manebat Schoonhoviæ oppido Hollandiæ Jacoba, quum & ſolertia quadam pertractis ad ſe Goudanis civibus armato milite non parum affligeret ejus terræ civitates, quæ adverſæ partis erant.

Jacobæ ſe adjunxerat princeps Sevenberganus, & ipſe terra marique Hollando infeſtus. Quo audito, Burgundus reduxit ea in loca exercitum, ac Sevenberganos arctiſſimè obſedit, pecuniæ interim haud parvam ſummam promittens Sevenbergæ principi ſi bello abſiſteret. Quod ubi conſtanter negaret ſe facturum, & jam propius urbem conſideret cum copiis Burgundio, tandem ſe dedidere Sevenbergani eorumque Princeps, quo invito hæc facta erat deditio, fugatus eſt.

Sevenbergani ſemper contrarij Burgundis & Auſtriacis.

DE MORBO IOANNIS, IV. DVCIS & morte.

§. 92.

Poſt hæc Lyræ oppidulo Brabantiæ conventus principum habitus, ubi confectis rebus, Joannes cum fratre ſuo juniore Philippo comite Simpolio profectus Bruxellam pridie Palmarum antequam ad locum deſtinatum pervenire potuit, gravi morbo implicatur. Poſtridie quam rediit Bruxellam, nihil prius habuit, quàm accerſito ad ſe medico animæ, de contractis per totam vitam noxis confeſſionem facere. Inde ubi, qua par eſt, veneratione, corpus dominicum accepiſſet, paucis diebus mortem obiit ante reſurrectionis feſtum. Anno à Chriſti regis ortu Milleſimo, quadringenteſimo, vigeſimo ſexto, ætatis xxxiiij. Conditorium optimi hujus principis viſitur Vuere ante aram maximam in æde Joanni Evangeliſtæ ſacra. Fuit Joannes in rebus adverſis omnino forti & infracti animo, juſti & æqui tenax, nemo religionis ſtudioſior, nemo dei amantior, nemo affabilior, nemo clementior. Tam munificus in pauperes, ut ji uno ore omnes Joannem pauperum patrem appellaverint. Joannis hujus temporibus, anno Salutis Milleſimo CCCC. xxj. Nocte quæ præceſſit feſtum Elizabeth vi tempeſtatis & aquarum violentia ruptis aggeribus, in Hollandia pagi ſeptuaginta periere.

Matrimonia iuvenû raro fauſta *vide §. 81.*

Virtutes Boni Principis.

Sunt

Sunt & in Phryſia, & Zelandia everſæ domus ac villæ. Periit ingens quoque mortalium numerus. Fruſtra alij loca editiora camporum, alij turres ac tecta petebant. Spumeus amnis

Exiit oppoſitas & vicit gurgite moles,
Fertur in arva furens, cumulo, camposq; per omnes,

cum ſtabulis armenta trahit.

§ 93. *DE PHILIPPO I. BRABANTIÆ Duce.*

Mortuo Joanne, frater ejus Philippus gubernationem ſuſcepit. Antequam id fieret, cupidus viſendi ſepulchrum dominicum, Romam proficiſcitur ut à pontifice maximo impetratâ facultate, quam primum quod in animo erat, conficeret. Pontifex non ignarus periculorum itineris, exarſerant enim bella quædam inter Cypri regem, ac Turcam, non eſt paſſus ducem abire. Sed apud ſe retentum aliquandiu, humaniſſime habuit.

§. 94. *VILVORDIÆ CONVENTVS, ET ALIA notatu digna.*

Quod Principes prudentiùs ſeligunt ſibi Cancellarios ex propriâ patriâ.

Reverſus ex Italia princeps. Vilvordiæ in Brabantia celebrem habuit conventum, ubi ſumma cum prudentia leges quaſdam à majoribus ſtatutas, ad utilitatem communem ſuorum, retractandi autor fuit. Aſcivitque ſibi cancellarium Joannem cognomento Boutium. qui vir erat gravis, prudens, & multis experimentis eruditus. Secundum hæc pagos, arces, & quæ alia ſuperiorum culpâ principum ad privatos deciderant, recuperare ſtuduit. In hoc à ſingulis oppidis certa eſt pecuniæ ſumma Principi adnumerata. Joanni Boutio adhuc vivo (ſed cui, ut opinor, ætas & valetudo ſuadebant otium) Princeps Lovanij in civica domo, præſentibus civitatum primo-

primoribus, dedit ſucceſſorem Joannem Gyllaynum, patria Brabantum, qui antea fuerat Leodij cancellarius. Viri hujus prudentia ac ſtudio factum, ut pax altiſſima fuerit inter Philippum, & Leodinorum antiſtitem.

BELLVM LEODINORVM CVM NAMVRcenſibus. §. 95.

SUb id tempus bello petiti Namurcenſes à Leodinis. Qui tranſportatis in territorium copiis, multas arces ceperunt, captas ſolo æquarunt, propter ademptos ſibi pagos aliquot. Mox & Bovinia eſt arrociter oppugnata. Quibus auditis Burgundionum dux Philippus, ejus ditionis proximus hæres, armatos emiſit, qui ex Namurco, velut arce quadam, ſæpius Leodienſem agrum incurſantes, multis eam gentem affecerunt incommodis. Eratque hic rerum ſtatus, illis in locis, quum Philippus Brabantiæ princeps, nunc per literas, nunc per legatos ad pacem finitimos hortaretur, quæ quum nullis rationibus ſarciri poſſet, menſium aliquot induciæ pactæ. Quibus retinentibus ſperabat ſe Brabantus ad æquas pacis conditiones utroſque retracturum. *Namurcū Burgundo ceſſit.*

DE SPONSALIBVS ET MORTE Philippi. §. 96.

MIſit poſtea è proceribus Engelbertum Edingum, & Boutium Juniorem cum trecentis equitibus, qui accerſerent ſibi deſponſatam filiam Ludovici regis Siciliæ, Jolentam nominatam invenio. Erat ea ventura ad urbem Remenſem, ubi tradita ſummatibus à principe miſſis in Brabantiam deduceretur. Interea Philippus gravi morbo correptus, humanis deceſſit Lovanij, quum rerum potitus eſſet annos tres, menſes totidem. Hoc gubernante

Horrendi terræ motus. Philippo, tam horrende mota & concuſſa eſt terra pluribus locis, ut unquam alias hominum memoria. In Cathalonia hoc tremore viginti urbes ſunt everſæ.

§. 97. *QVOMODO BRABANTIÆ PRINCIPATVS ad Philippum Burgundiæ ducem pervenerit, ejusdem uxores & liberi.*

SIne prole jam defunctis Antonij liberis, omne jus principatus Brabantici devolutum eſt ad Philippum Joannis Burgundiæ ducis filium. Is enim Joannes Antonio fratri juniori hac lege ducatum Brabantiæ ceſſerat, ut ſi vel ipſe Antonius vel ejus liberi ſine hæredibus neceſſariis decederent, jus rediret ad ſuum genus. Itaque Philippus patre Joanne Burgundo natus, ab initio adminiſtrationis tam ſingulari vixit modeſtia, ut plurimum diligeretur ab omnibus, & in magno etiam honore ſit habitus. Obvenerunt ei poſt cædem patris, provinciæ: Burgundia, Lothoringia, Brabantia, Limburgia, Flandria, Arthcſia, Hannonia, Hollandia, Selandia, Phryſia, quibus omnibus ſumma prudentia præfuit. Uxores duxit omnino tres, unam Michaelem, Caroli ſexti, ut alij ſeptimi, Gallorum regis filiam virginem decoram ex qua liberos non tulit, quum maximè cuperet. Hæc defuncta ſepelitur Gandavi in cœnobio divi Bavonis. Deinde in matrimonium accepit Laudam nobilem & egregia fórma mulierem, quæ & ipſa nihil ei peperit liberorum. Poſtremo conjugem habuit Yſabellam Portugaliæ regis filiam, ex qua Antonium & Jodocum, quos pueros amiſit, poſtremo Carolum ſuſcepit, qui patri ſucceſſit in principatu, de cujus rebus geſtis dicetur. §. 110.

Philippus Burgund⁹ ex Portugalla genuit Carolū Audacem.

***

BELLVM

BELLUM IN GALLIA GESTUM à PHILIPPO *Burgundo & Anglorum Rege.* §. 98

NOndum factus Brabantiæ Dux, bellum Philippus geſſit cum Gallis, ut patris ſui Joannis indignam cædem uiciſceretur. Quidam hun tradunt oppidi Galliarum, cui Monſteriolum nomen eſt, interemptum. Quo loco dies principum conventioni dictus erat. Cædis authorem fuiſſe Dalphinum, qui poſtea rex factus, Caroli ſeptimi nomen accepit. Robertus Gaguinus rerum Gallicarum ſcriptor, converſu (inquit) in to quum hinc atque hinc permulta de præteritis injuriis refricarent, ſubito quidam ex his qui Dalphinum ſequuti eo venerant, ira accenſus educto gladio Burgundum obtruncat. Innocentiæ Caroli Dalphini argumentum fuiſſe Robertus tradit, quod ad cædem viri expaverit faciem à percuſſoribus avertens, Patre occiſo, Philippus cum Anglorum Rege Henrico Gallici nominis hoſte fœdus & amicitiam jungit. Ab his duobus ea tempeſtate Galli ſunt armis inclementer vexati, adempta oppida, vici concremati, ſolo æquatæ ſunt arces. In quo ſtatu exactis aliquot annis, Gallorum rex Carolus ſeptimus, omnia, quæ ademerat hoſtis, recuperavit, puellæ cujusdam auxilio. Hæc dicta Joanna viginti annos nata, regem adiens ideo ſe veniſſe conſtanter affirmavit, ut eum in regnum reſtitueret, Deum ita decreviſſe, ut ſe duce, Aurelianenſes quos tum arcta premebant obſidione Anglorum exercitus, liberarentur, & Anglis tota Gallia expulſis, ipſa Remos Carolum perduceret, ubi more majorum inungeretur, de quibus omnibus oracula divinitus accepiſſe ſe dicebat. Hæc & alia pleraque Gaguinus. Ego ad ea venio, quæ poſt Brabantiæ ſuſceptum principatum memoratu digna Philippus geſſerit.

Antiqua antipathia & odium Gallorum contra Burgundos.

§. 99. DE OBSIDIONE CALETI.

1437. ANno dominicæ incarnationis Milleſimo quadringenteſimo triceſimo ſeptimo, Philippus quum non bene conveniret inter eum & Anglorum Regem, Caletum in Flandriæ finibus ſitum oppidum (quod tum Anglo parebat) valida manu obſedit. Nullum hic invenio memorabile facinus editum, & antequam urbs tentari cœpta, obſidio ſoluta eſt. Lego hac obſidione irritatos Anglos in fines in Brugenſium excurriſſe populabundos magis, quam juſti more belli. Quos adorti Brugenſes, fugant, & prope duo millia cædunt.

Caletum olim Anglorum.

§. 100. DE REBELLIONE BRUGENSIUM ADVERSUS *Philippum Burgundum.*

HAnc victoriam ſequuta eſt Brugenſium rebellio ob adempta privilegia, quam eo progreſſam invenio furoris, ut contra ipſum etiam Principem non ſolum arma ſumpſerint, verum etiam gladio ſubjecerint eos, qui Philippum urbi exitium minantem juviſſent. In commentariis rerum lego, Principem, ubi Brugas obſidere conſtituiſſet, ſimulaſſe ſe cum exercitu profecturum adverſus Hollandos, ut eam gentem aliquanto faceret obſequentiorem. Idque ut facilius vulgo perſuaderet, mille, & quingentos armatos præmiſit Antuerpiam, qui inde ſtatim in Hollandiam trajecturi videbantur. Interea ipſe cum cæterâ manu in Brugenſem agrum egreſſus, ubi appropinquare oppido cœpiſſet, adequitanti ſibi Principi Lillidamo bellicoſiſſimo viro, dixiſſe fertur. Hæc eſt illa Hollandia quam ſubigere conſtitui, Brugas digito commonſtrans. Quod ſimul atque Lillidamus intellexiſſet, animo exhorreſcens, domine mi inquit, ſuperi prohibeant, nolim te quicquam tale incipere, & noſtro omnium malo experiri tumultuantis

Stratagema bellicũ.

Conſilium contra malum animũ Principis.

quantis vulgi rabiem, ſi tamen ira fixum immotumque ſedet animo, nullum equidem pro tua, hoc eſt, Principis mei ſalute periculum effugero. Hæc ille. Philippus tanquam cum ſuo milite in Hollandiam profecturus, intra urbem à Brugenſibus qui nihil ſuſpicabantur mali, recipitur. Verùm non multo poſt, ubi animadverſum eſſet, omnia minus agi ſyncere, Brugenſes clam arreptis armis urbe media ſeſe intra domos occuluere, certi nihil incipere, nihil movere priuſquam Ducis miles hoſtilem oſtenderet animum. Erant enim in eventum circa forum diſpoſiti armati cum ingentibus machinis, qui in primum clamorem hoſtium, omnem Principis exercitum ſolo bombardarum ſonitu in fugam egerunt. Ipſe Dux periculo proximus, opera cujuſpiam fabri, qui à tergo portarum fores effregit, vix elapſus eſt. Poſtea verò, ne propter unius rebellionem urbis nimium effunderetur humani ſanguinis, aliâ via rebellem populum domare ac ſubigere cogitabat. Vetuit igitur omnibus ſuis Provinciis recipi Brugenſes, & pro hoſtibus haberi voluit. Unde factum, ut qui antea Brugis negociatores velut emporiò orbis Flandrici verſari conſueverant, urbe relictâ alio habitatum conceſſerint. Hoc videntes Brugani cives, rabie tandem poſitâ, pacem ineunt. Quod cum ita factum eſſet, Dux oppidum ingreſſus, haud aliter atque Numen quoddam cœlo demiſſum excipitur.

Malè agitur contra ſubditos & Cives.

DE EXPUGNATO PER BURGUNDUM Lucenburgo. §. 101.

NOn multo poſt adfertur Lucenburgenſium Principem Elizabetam è vita exceſſiſſe ſine liberis. Igitur Philippus ad quem lege rediiſſe putabatur 15. dies ditas, cum ſatis numeroſo exercitu profectus, inquieto ductu, Lucenburgum ejus regionis primam

Lucenburgum infra, Dies capitur.

primam urbem venit, quam totos quindecim dies perpetua fatigatam obſidione, tandem cœpit opera Cornelij nothi ſui, bellicoſiſſimi viri, qui ſcalis intempeſtâ noctè admotis muros conſcendit, & captum oppidum patri aperuit.

§. 102. CONSTANTINOPOLIS EXpugnatio.

HUjus principatu anno quinquageſimo ſecundo, ut Sabellicus, ut Gaguinus tradit, tertio, ſupra milleſimum & quadringenteſimum noſtræ ſalutis, à Turcarum rege Machomete capta direptaque eſt Conſtantinopolis. Cujus urbis alienatio, univerſæ Chriſtianorum genti gravis, Genuenſibus vero ac Venetis longe fuit graviſſima. Quibus, cum erepta Conſtantinopoli in Pontum & Scythiam navigandi omnis adempta facultas videbatur.

§. 103. DE EXACTIONE FACTA IN HOLlandia.

Peſſimum eſt gravare pro luxu Principum ſubditos.

EOdem ferè tempore Philippus, neſcio quo prætextu ingentem ab Hollandis pecuniam exegit. Quæ primum negata à Waterlandis (ſunt ji populi Hollandiæ) magnos iterum tumultus excitavit. Reſpondentibus enim Waterlandis non ita florere ſua oppidula, ut cæterarum Hollandiæ urbium munificentiæ reſpondere poſſent. Illico miſſi ſunt à principe legati, qui vel invitos ac renitentes eos ad id pecuniæ perſolvendum traherent, quumque nec eo modo quicquam proficiſſent, juſſu principis eo immiſſi armati opulentiſſimos quoſque abduxerunt Hagam comitis. Et utinam a ſuperiorum Principum conſiliariis non ninò peſtilens inductum exemplum hodie non tanto ſtudio imitarentur mali Gubernatores.

DE EXACTIONE IN GANDAVENSES, *& rebellione ejusdem populi.* §. 104.

SExennio poſt, Philippus quum eſſet adhuc animo ſatis infenſo in Gandavenſes propter ſolutam nuper horum ambitione obſidionem Calyſiæ, graviſſimis exactionibus eos divexare ſtatuit. Proinde quum nihil impetraſſet eorum quæ petierat, armis utrinque agi cœptum eſt. Princeps apprehendere & in cuſtodiam ac vincula conjicere Gandavenſes ac horum fautores. E diverſo illi omnes qui Philippi partibus favebant, indignis modis tractare ſint auſi. Eſt præterea ſæpius inter eos collatis vexillis acie decertatum, nunc his, nunc illis victoribus, obſeſſum viribus Gandavenſium Audenardum, ſed fruſtra. Prius enim quam in tanto apparatu geſtum eſt quicquam memoria dignum, Gandavenſes in fugam converſi multos è ſuis amiſere. Ad Philippum interim defecerunt omnia pene Flandriæ oppida, quæ rerum mutatio tantum abeſt, ut Gandavenſibus feroci hominum generi quicquam animi ademerit, quin paucis poſt diebus etiam Teneramunda Flandriæ ſatis munitum oppidum ſit ab jis tentatum, ſed infœliciter (ut exitus docuit rei,) Illic enim hoſtilibus oppreſſi inſidiis multi occiſi ſunt qui pugnæ ſuperfuerunt, ji poſtea cum Teneramundanis congreſſi, proſpere dimicaverunt cæſis hoſtibus. Nec multum inde dierum interceſſit, quum utrinque novo coacto exercitu, iterum infeſtis ſignis concurſum eſt. Quo prælio Cornelius Philippi nothus (cujus ſupra §. 101. memini) occubuit, ſepulchro illatus poſtea Bruxellæ in templo D. Gudulæ. Pater, hujus tam ſtrenui filij præmaturâ morte vehementer commotus, Hollandorum imploravit opem. A quibus, Philippo miſſus exercitus, primo contemptui fuit ac ludibrio Gandavenſibus. Cæterum ubi ſerio agi cœptum eſt, Hollandi ſuperiores fuere.

Quibus ob ſtrenue navatam in ea pugna operam, gratiis actis, Philippus ad expugnandas tres Gandavenſium arces conceſſit, quæ natura & opere multo erant munitiſſimæ. Captis brevi ſpatio duabus, tertiam adoritur. Quod ubi eſſet Gandavi renunciatum, continuo egreſſis illis, cum florentiſſimo exercitu, Princeps improviſus occurrit. Certamen fuit utrinque cruentum. Sed Philippus egregie vicit ſexdecim, ut invenio, Gandavorum millibus occiſis. Hac demum clade fracti Gandavenſes pacem petunt, qua data, Princeps urbem ingreſſus maxima cum veneratione excipitur, Gandaviana magnificentia tractatur, ſanctiſſima fide dimittitur.

§.105. *DE PHILIPPI FILIO DAVIDE INAVGVRATO, Trajectenſium epiſcopatui, & obſidione Daventriæ.*

POſt hæc Philippus omnibus modis egregius princeps de filio ſuo Davide Epiſcopatui Trajectenſi inaugurando cogitare cœpit. Qua re intellecta Trajectenſes qui Giſberto tum electo magis favebant, certis argumentis oſtendere cœperunt, haud placere ſibi quod ageret Philippus. Cauſabantur enim non eſſe idoneum Burgundi filium, quod conſtaret eum ex concubina editum. Quibus cum Philippus reſpondiſſet ſe habere apoſtolicam ſuper eâ re diſpenſationem (ut vocant) nec ſic quidem placare eos potuit. Igitur ſit via, vi, & armis tentari res cœpta, brevi eo deducta eſt, ut quem canonici elegerant maximis allectus promiſſis, Burgundo epiſcopatum ceſſerit, atque ita Trajecti pacatis & compoſitis rebus omnes belli reliquiæ in Daventrienſes converſæ, qui novi antiſtitis imperium aperte detrectabant. In hos Philippus educta non contemptibili manu totas octo hebdomadas urbem eorum fruſtra obſedit, pluvio enim cœlo dies

com-

complures luculentus exercitus circa foſſas & paludes nihil agere inſigne potuit. Interea Joannes Dux Clivenſium nihil prætermittens eorum, quæ ad pacem inter Principem & Daventrios componendam attinerent, eo rem deduxit, ut impetrata pace, novum reciperent Epiſcopum. Id quod haud gravate fecerunt, jam incommodis longæ obſidionis edocti. Itaque abductis inde militibus ſuis, Philippus in Brabantiam revertitur circa feſtum Archangeli Michaelis.

DE FVGA LVDOVICI DELPHINI è Galliis ad Philippum Burgundum & ejusdem Ludovici in Gallias reductione. §.106.

VIx jam redierat, vis jam reſperare cœperat à bellicis curis, atque negotiis Philippus, mox Ludovicus Delphinus (cui cum patre Carolo Galliarum Rege inimicitiæ erant.) Flandriæ loca ingreſſus, ad eum ſe contulit, fretus affinitate, quæ cum illo intercedebat arctiſſima. Nepotem igitur deſtitutum favore ſuorum, Philippus eâ veneratione, eo excepit affectu, ut facile declararit ſe in affinem, gerere animum parentis (propirij. Itaque exacto quinquennio in comitatu Burgundi, uſque ad patris obitum, cum ingenti exercitu à Philippo in Gallias reductus, fratre natu minore (cui pater moriens, Ludovici odio, regnum Galliarum teſtamento reliquerat,) ultro annis ac ætati cedente, rex inungitur. Sabellicus Antonius, qui in parte operis ſui poſtremâ, rerum à Philippo geſtarum commeminit, author eſt, apud quosdã in ſuſpitionem veniſſe, Ludovicum veneno necas ſe frater Junior. Quæ quidem res illi & invidiam conflaverit, & bellum pepererit, in quo tam infeſtum habuerit hoſtem Philippum Burgundum, quàm antea ſenſerit amicum.

§.107. DE EXPEDITIONE PHILIPPI BURGUNDI *in Turcas.*

1464. ANNO ſalutis noſtræ quarto & ſexageſimo ſupra milleſimum & quatercenteſimum Pontifex Pius ſecundus, quum nuntios & literas per omnem Europam miſiſſet, quibus ad bellum Turcis infeferendum Reges ac populi invitabantur: Philippo quoque Burgundo pontificiæ literæ ſunt redditæ, quibus rogabatur, ut ad tam pium, quàm neceſſarium bellum ſeſe pararet, paratus in tempore, adeſſet una cum cæteris Principibus Chriſtianis quàm primum tranſmiſſurus in ea loca, quæ per id tempus fidei hoſtis, noſtrorum ignaviâ Principum occupaverat. Acceptis his literis, optimus Princeps non diſtulit, quantum potuit militum ex omnibus ſuis provinciis convocare, cum inſtructo exercitu ipſe haud dubie profecturus, niſi partim ſenio præpeditus, partim aliis implicitus malis, domi manere coactus fuiſſet. Emiſit igitur Antonium nothum ſuum ingenti animo ac fortitudine virum qui copias duceret. Is ex Brabantia profectus, quum in Gallias veniſſet, longius procedere non eſt auſus, propter oſtenſas ſibi literas, quibus inerat, juſſiſſe patrem Philippum, ut interficeretur. Hæ literæ ut poſtea comperti m eſt, non à patre (cui unice charus erat Antonius) ſed ab hujus conſiliariis aliquot, ſcriptæ fuerant in gratiam Ludovici Gallorum Regis, cui ſoli cum Pontifice parum conveniebat.

Burgundi ſemper inclinati contra Turcas.

Mala & injuſta Conſilia non odorant Principes.

§.108. DE NOVA DISCORDIA APUD *Hollandos.*

1464. ANNO poſt Chriſtum in terris natum 1464. initium cepiſſe diſcordia traditur, quæ per longum tempus fuit inter eos qui ab hamo, & alios qui à piſce a cilo nominati ſunt.

DE

DE MORTE ET MORIBVS PHILIPPI Burgundi. §. 109.

Quales debeant eſſe Reges & Principes.

OBiit Philippus ætatis anno ſeptuageſimo tertio, regni triceſimo ſeptimo, Dominicæ nativitatis milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo ſeptimo, ad xvij Calen. Julij. Fuit hic Princeps, quod non paucis incredibile videatur, pacis ac belli ex æquo ſtudioſus, inſigniter pius, in omnes beneficus, humanus, ut ſuperiorum Principum nullus. In re bellica fortior ne an felicior extiterit, neſcias. Moderationem & clementiam toto adminiſtrationis tempore mirabilem exhibuit, novitque iram plerunque diſſimulare ac vincere. Gemmarum, ſignorum, tabularum, & poculorum ex auro atque argento ſtudioſiſſimum fuiſſe legimus, in quibus comparandis ipſum prope ſuperavit Julium Cæſarem, ditavitque hujusmodi rerum artifices undique ad ſe accerſitos. Principes viros, ac doctos coluit, & ab his viciſſim ipſe in honore eſt habitus. Equites aurei velleris inſtituit Anno 1428. obiit 1469. Brugis.

DE NATIVITATE CAROLI, AVDACIS & parentibus ejus. §. 110.

Vnicus filius natus 1433.

NAtus eſt Carolus Digij, oppido Burgundiæ, anno partus Virginei iij. & xxx. ſupra quadringenteſimum & milleſimum. iiij. idus Novembres. Patrem habuit Philippum, de quo proximè dixi, virum longè optimum: Matrem verò Yſabellam, quæ marito ſuo præter Carolum, duos alios filios genuerat, quorum unus adhuc infans, alter jam puraſcens extinctus eſt.

§. 111. *DE STVDIIS CAROLI AVDACIS in pueritiâ.*

Induſtria Caroli Audacis.

CArolus annos natus ferme duodecim, optimis moribus & liberalibus diſciplinis traditur inſtituendus, ut qui in ſpem ſucceſſionis tot provinciarum aleretur, eoque brevi pervenit meditando, exercendoque, ut natu grandior, & Latinè loqueretur, & ſcriptores veteres, etiam citra interpretem intelligeret. Quod certe tam rarum eſt in Principibus modernis, ut plurimum etiam placere nobis, & criſtas erigere poſſimus de qualicunque ad ſummas ejus virtutes, acceſſione doctrinæ. Imbutus eſt & muſicis, olim apud antiquos honeſtiſſimo ſtudio, quod hodieque ſuam retinet laudem apud nationes Italiæ; Doctos viros plurimum amavit, & ante alios provexit, major haud dubie futurus ingeniorum Mecœnas, ni bellicis diſtrictus curis, mentem omnem & cogitationem ad arma convertiſſet: in commentariis rerum Hollandicarum invenio, religionem adeo curæ fuiſſe adhuc penè imberbi, ut preces horarias quæ canonicæ vocantur, legerit, nec unquam omiſerit niſi multum occupatus. His filij progreſſibus, intantum eſt gavíſus pater Philippus, ut ſæpius dixerit: plurimum ſe omnium bonorum largitori Chriſto debere, quod talem eſſet illius benignitate ſucceſſorem relicturus.

Canonicis modernis laici præcellunt.

§. 112. *DE DISSIDIO INTER CAROLVM AVDACEM & patrem Philippum.*

Invidus & injuſtus Cõſiliarius multa mala procurat.

CArolus jam primas adoleſcentiæ metas ingreſſus, accepit à patre comitatum Cadraleſij & quædam alia loca, è quibus annuum reciperet proventum. Accidit non multo poſt ut Joannes quidam Coeſteynius à conſiliis Philippo patri cogitare cœperit, quomodo Carolum principis filium veneno necaret,

necaret, erat enim hic illi inviſus. Ut vero reſcivit Carolus, illico ad patrem venit & non ſine lachrymis, exponens quod ægre eſſet, juſſu parentis Cœſteynium apprehendit, apprehenſum & nepharij ſceleris convictum ſupplicio admovit. Ex hac tam juſta & ſalutari animadverſione, Carolo inexpiabilis conflata eſt invidia apud eos, ſine quorum conſilio, neque privatim, neque publice quicquam agebatur. Itaque his conantibus factum, ut brevi pater à filio alienatus, primum omnibus bonis eum exuerit, mox etiam vetuerit edicto, ne quis illuſtrium virorum aut illi conviveret, aut prodeuntem honoris cauſa ſequeretur. Hoc in ſtatu cum res patris Philippi repperiſſet Antonius nothus, è gallia tum reverſus cum exercitu, poſthabitis rebus omnibus, nihil non tentavit, nihil non fecit quod ad fratrem Carolum patri reconciliandum pertineret. Philippus autem rogatus à multis & magnis Principibus, ut nihil commeritum filium in gratiam reciperet, ſecum cogitans unicum eſſe illum hæredem ſuum, ad ſe ex Hollandiâ, quo is durante patris ira profugerat, revocatum, amplexus in priſtinam dignitatem reſtituit.

Tales iniuſtas Perſecutiones etiã hodie procurant maligni contra æquitatem promoventes.

Tandem bona cauſa Triũphat.

DE PRIMA CAROLI AUDACIS EXPEDItione contra Gallos. §. 113.

PRimam expeditionem ultro ſuſcepit in Ludovicum Regem Gallorum, quem ad montem Henrici magno prælio devicit. Is locus diſtat ab urbe Pariſiorum ſeptem Gallicis leucis, Carolus in ea pugna periclitatus eſt, nempe in collo gravi vulnere accepto. Rex autem Ludovicus abjectis armis trepidus in arcem quandam ſe recepit. Deinde Pariſium regiam urbem ingreſſus, plures dies intra muros ſe continuit. Interim ad Carolum victorem ſæpius miſſi legati, qui pacem peterent, qui omnia victum Regem

Burgundus animosè vicit Regẽ Galliæ & ipſi leges pacis impoſuit.

Regem facturum dicerent, quæ victor Carolus petiviſſet. Igitur his legibus tandem pax impetratur, ut omnes eas terras Burgundionum Principi Gallus redderet, quas antea vi tenuiſſet, his adjectæ tres civitatulæ, inter quas Pyrona. Carolus victor Bruxellam reverſus, ingenti patris Philippi, deinde totius gaudio civitatis eſt exceptus, in eo enim congreſſu omnia ſpe, votisque majora contigerant.

§ 114. *DE MORTE VXORIS EIVS ISABELLÆ Portugallæ.*

Ex deſiderio mariti moritur Vxor.

Ollum adhuc in Gallijs Carolus abeſſet, uxor Yſabella mariti ſui longe amantiſsima, Gorici oppidulo Hollandiæ, in morbum incidit, contractum (ut quidam putant) nimio Caroli deſiderio. Igitur convocati peritiſſimi medici, ſuaſerunt, ut relicta Hollandia Gandavum veheretur, fore ſperantes ut filiolæ (quæ in eadem urbe per id tempus educabatur) jucundiſſimo conſpectu recreata, brevi convaleſceret. Ubi vero Antuerpiam perventum; mulieri adeo morbus invaleſcere cœpit, ut in Divi Michaëlis cœnobium deportata, paucis poſt diebus expirarit. Sepulta inibi magnifice ante aram maximam. Fuit hæc mulier Chriſto dedititiſſima. Struunt aliæ magnificas ædes in quibus omni deliciarum genere fruantur, Yſabella pauperibus impendit omnia. Legitur ſæpius paucis comitibus, inopum circuiſſe tuguria, quibus illorum ſublevandæ egeſtati o culte pecuniam intulerit, eximio prorſus atq; e omni ævo memorabili exemplo.

Vtinam hodie multæ talia ſe quererentur exempla.

⁂

DE

DE EVERSIONE OPPIDI DIONANTENſIS. §. 115.

ANno ſalutis humanæ M. quadringenteſimo ſexageſimo ſexto, Dionantenſes (horum oppidum Dionantum viſitur ad Moſæ ripas) adjuti Leodinorum viribus late Brabantiam, Hannoniam, Namurcum, fœdis populationibus devaſtabant. Multa interim contemptim loquentes de Philippo Principe, cui per id tempus adverſa valetudine impedito non licebat patrios tueri fines. Carolus igitur injuriam non ferens, ex Arthefia (ubi tum erat magnis implicitus negotiis) Bruxellam rediit, atque ibi conſcripto ſtatim exercitu profectus in Dionantenſes, eorum urbem validè munitam cæpit, captamque evertit. Juxta Dionantum & Bovinianı ad Moſam, Poulvagium oppidulum, tunc etiam deletum & ſolo æquatum eſt. Viſuntur hodie domus aliquot reliquiæ everſæ urbeculæ, viſitur & puteus inſignis. Eodem temporis ſpacio erat Leodinos quoque magno armorum apparatu invaſurus, niſi vicinæ urbis everſione perterriti illi, ſupplices veniam petiiſſent, quibus pro ingenitâ ſibi clementia Carolus noxam condonavit, acceptis ab eisdem quinquaginta obſidibus, qui Lovanium profecti, tantiſper ibi manerent, quoad Philippo patri (cui fuerat illata injuria) omni ex parte ſatisfactum eſſet. An.1466.

DE MORTE PHILIPPI BVRGVNDI.

NOn multo poſt Philippus pater, ablegato in Angliam Antonio notho ſuo, qui ab Rege Eduardo quarto peteret, uti ſororem ſuam Margaretham, Carolo daret uxorem, Brugis eodem anno ægrotare cœpit: A proceribus, qui tum aderant illic, §.116.

fore;

fore ſperantibus ut brevi revaleſceret, Carolo filio

Luct' univerſalis de obito Boni Principis. quui id temporis Gandavi erat, nihil ſignificatum proximo triduo. Verum poſtea magis magisque invaleſcente morbo, quum non procul abeſſe à morte videretur, accerſitur filius, qui nocte dieque continuato itinere profectus, jàm quidem graviter affectum, ſed tamen ſpirantem adhuc patrem invenit, manſitq; cum eo. Defunctum vero tam piis eſt lachrimis proſequutus, ut aſtantibus ipſe lachrymas excuſſerit. Aſtantium quoque procerum & fœminarum illuſtrium ad principis caſum tanta eſt orta commiſeratio, ut præ nimio dolore parum animi compotes, alij clamorem extollerent, alij propemodum exanimati conciderent. Poſtquam vero mors optimi principis famæ ac nunciis vulgata eſt, maximus repente luctus omnium occupavit animos qui Burgundicæ ditionis fuerunt. Annus, quo tam inclytus periit princeps, fuit (ſi commentarij quos ſequimur, recte colligunt) milleſimus quadringenteſimus lxvij. humanæ ſalutis. Corpus ejus inſepultum aliquandiu ſervatum eſt in eadem urbe. Decreverat enim filius illud primo quoque tempore, in Burgundiam ſepeliendum avehere. Quod poſtea factum eſſe ſuo loco dicetur. Yſabella mater cum paucis annis chariſſimo conjugi ſupervixiſſet, mortem obiit Artis, non longe ab oppido ſancti Odomari. Cujus etiam corpus in Burgundiam eſt avectum.

§. 117. *QVOMODO FLANDRIÆ ET BRABANTIÆ principatum acceperit Carolus Audax.*

1467. POſt ſummum patris diem, Carolus cum ornatiſſimo Procerum ſuorum agmine Gandavum properat. Quod ubi eſſet intellectum, occurritur ei ab urbis primoribus, qui novo & optatiſſimo principi adventum gratulati, eundem introducunt, eſtque tunc

Pompa ſeu Introitus Caroli Audacis.

tunc impunitas conceſſa plus octingentis maleficis, qui cum Principe Gandavum ſunt ingreſſi. Exceptus igitur omni ſpectaculorum genere, & vocibus undiquaque aggratulantium civium, principatui Flandriæ inauguratur. Sed pompam illam, ſed gaudia illa atque tripudia inopinatus luctus inquinavit. Nam tumultus inaugurationem ſequutus eſt, petentibus Gandavis omnia privilegia ſibi reſtitui, quæ Philippus pater illis ademerat. Eſtque populi furor eo graſſatus, ut ibi Carolus fuerit coactus facere, quæ illi vellent. Venit poſtea Lovanium, primam Brabantiæ urbem; ubi cum ſimili ſolennitate ejus regionis principatum ſuſcepit, tanto omnium gaudio, ut beatos ſeſe clamarint; quibus tot animi dotibus excellentiſſimus princeps contigiſſet. Lovanio Bruxellam profectus: in ea quoque urbe ſingulari favore excipitur, ac feſto die Margaretæ miro conſenſu civium in verba novi principis juratum eſt.

DE COMPOSITO PER CAROLVM AVDACEM *tumultu Mechliniæ.* §. III.

EOdem ferè tempore Mechliniæ exortus tumultus, qui velut incendium alia atque alia corripiens, eo ſerpſit, ut furore vulgi, expulſis, qui rempublicam adminiſtrabant, præfecti domus ſolo æquata, bonaque ejusque direpta ſint. Quâ violentiâ princeps vehementer commotus, incredibili celeritate eo contendit urbem deleturus, niſi orantibus multis nobilibus viris, ut ſanæ parceret multitudini, hac lege ignoviſſet admiſſum; ut quicquid privatarum ædium antea vulgus per furorem everterat, ſuo ſumptu inſtauraret, numeratis triginta millibus aureorum præfecto, cujus bona diripuerat. *Iuſtitia Principis.*

DE SVBACTIS LEODIENSIBVS.

§.119. His peractis, Carolus iterum bello adortus Leodienſes, multas eorum arces vi cepit, oppidum ſancti Trudonis, (ita enim hodie vocatur) obſedit aliquot diebus. Cujus ſubacti muros dirui juſſit, ut ita rebellandi materiam in perpetuum eis adimeret. Poſtremo Leodienſes quoque obſeſſi, videntes non poſſe ſe viribus Caroli reſiſtere, omnes inermes cum ſciſſis veſtimentis egrediuntur, adque Ducis genua provoluti, multis tandem precibus obtinuere, ne urbs excidio dederetur, quæ imperata facere non recuſaret. Princeps verò utcunque placatus, domitam atq; ſubactam urbem non eſt ingreſſus, niſi quicquid intus erat armorum ad ſe deportatum in ſua poteſtate haberet.

DE NVPTIIS CAROLI AVDACIS.

§.120. Functus hoc bello Princeps, uxorem duxit Margaretam ſororem Eduardi quarti Anglorum Regis. Hæ nuptiæ Brugis, oppido Flandriæ celebratæ ſunt tanto apparatu, ut nihil à condito æ vo ſol viderit ſplendidius. Primum omnium ad celebrandas nuptias domus à fundamentis extructa, incredibili ſumptu ac celeritate, cujus parietes, conclavia, atque cubicula omnia tapetibus precioſiſſimis conſternuntur. Triclinium in quo Princeps die nuptiarum convivio adhibiturus erat nobiliſſimos quoſque, ita magnifice ornatum eſt ut cætera omnia quanquã precioſiſſima, nihil tamen fuerint cõferenda cũ his, quæ ibi viſebantur. Erectus eò loco fuit abacus, in quo pulcherrima vaſa omnis generis expoſita vidiſſes. Hic erant ex auro puriſſimo emunctoria, candelabra, maluvia, pelves, vaſcula potoria, diſci, ſalina, œnophora, paropſides, gabata, vox me citius defecerit, quam nomina tantum dixerim eorum, quæ ad illius magnificentiam convivij abſolvendam parata erant. Foris quoque nihil ceſſatum eſt. Omnes vici, omnes domus qua erat ventura ſponſa, pulcherrimis aulæis, plateæ

Nil unquã ſupra magnificentiã Burgundi Caroli.

plateæ floribus omnifariam, quos dabat anni tempus veſtiuntur. Sunt & nobiliſſimi artifices undique acceſiti, ad excogitanda ea, quæ ingredientium & prætereuntium oculos detinere poſſent. Jam parata, & magni conquiſita erant omnia quum dies appareret nuptiarum. Brugas igitur cum trecentis plus minus equitibus Princeps egreſſus, Damam venit. Huc enim non multo ante ex patrio ſolo appulerat ſponſa, in hac urbeculâ celebrato nuptiali fœdere, illico Brugas reditum, Margareta civium lætis excepta vocibus, gratiſſima nimirũ atq; omnibus optatiſſima adveniebat. Nunc prætoreo edita toto oppido ſpectacula omnis generis. Prætereo exhibitos ludos totâ urbe regionatim, & quidem per doctiſſimos hiſtriones. Taceo omniũ penè Burgundicæ ditionis oppidorũ gratulationes, inſignium ingreſſus Antiſtitum. Deniq; celeberrimam hominum frequentiam. Nuptiarum die in triclinio, ubi cum ſponſa & illuſtrioribus viris diſcum- *Miraculũ*
bebat princeps, quatuordecim partim argenteis, *octavum*
partim aureis navibus, quarum ſingulæ quatuor *orbis in nu-*
ſcaphulas habebant, cibus in menſam illatus eſt. *ptiis Bur-*
Quid miſſus dicam ferculorum quos fuiſſe legimus *gundi.*
numero circiter quadraginta. Quibus verbis efferam vinum odoratiſſimum, quod convivis appoſitum eſt. Secundæ menſæ tragemata; ex ſaccaro, poma, nuces, lautitias omne genus habuere. Quæ omnia dum fixi, ſuſpenſique præ ſtupore convivæ deguſtant, à pueris interea in cupidinum ſpeciem figuratis, longe ſuaviſſimi ad menſas adolentur odores. Nihil ad hanc magnificentiam egregius alioqui Antonij & Cleopatræ apparatus. Nihil Heliogabali ſexcenta ſtrutionum capita unâ cœnâ appoſita. Ut ſemel finiam, quicquid de dubiis ac pollucibilibus loquitur cœnis antiquitas, hâc Burgundicâ inferius eſt. Poſtquam verò exempta fames epulis, menſæq; remotæ, oculis varia ſunt exhibita oblectamenta, ex quibus propè innumeris, pauca referam.

 Illagi

illati ſunt in triclinium pavones flammivomi, in quibus tantum artificij, tantum operę inſumptum eſt, ut à veris internoſci vix potuerint. Introductus eſt leo, cui eximia pulchritudine virgo inſidebat, geſtans manu inſignia Principis Caroli. Ad oſtentandam magnificentiam magis quàm oblectandi gratia illata ſunt argenteæ turres numero triginta, quibus arces totidem ſignificabantur, quarum ea tempeſtate dominus ac poſſeſſor erat Carolus. Poſtremo introductum eſt animal (Dromedarium quidam autumant) cujus dorſo impoſitæ ſportulæ, unde omnis generis evolantis aviculæ; haud aliter cantu demulcebant omnium aures convivarum, quâm verè novo, ramis arborum inſtrepitantes, vario concentu prætereuntem detinent viatorem. Secundum hæc funambuli, Panthomimi, Arethalogi, ſaltationes, illuſtrium choreæ fœminarum, & quicquid præterea animi gratia potuit excogitari, exhibebatur. Quod reliquum erat temporis ante cœnam, variis eſt luſibus impenſum. Carolus autem, quum hæ nuptiæ fierent, annum ætatis agebat tricesimum quintum: primo, ſecundo, ac item tertio diebus proximè inſequentibus ludi ſunt exhibiti, & celebrati magnificentiſſimo apparatu in argumentum publicæ lætitiæ; quos Georgius Badenus, Epiſcopus Metenſis, Joannes Burgundus Cameracenſium Antiſtes; David Burgundus Trajectinorum in Hollandia præſul, Guido Tornacenſis Eccleſiæ ſummus Paſtor, cum pleriſque aliis nobiliſſimis viris, Carolo Principi & Sponſæ aſſidentes ſpectarunt.

Vera ætas matrimonij.

DE

DE SVSCEPTO PER CAROLVM *Audacem Principatu Hollandiæ & Selandiæ.* §. 121.

HIs celebratis nuptiis, cum univerſo propemodum flore Procerum Burgundiæ in Hollandiam venit, ubi rurſus ad ſingularum urbium ingreſſum renovata lætitia, inſtauratis triumphis, & paſſim editis, magnificentia, ſplendoreque viſendis oſtentaculis, apud Hagam comitis pridie feriarum Divæ Magdalenæ, Principatu ejus regionis initiatur.

DE VLTIMA OBSIDIONE LEODII, *& ejus occupatione.* §. 122.

SUB id tempus rebellatum eſt à Leodienſibus, qui nocturno tempore ingreſſi Tongrinum (olim hæc urbs Octavia dicta eſt) Ludovicum Antiſtitem ſuum, Caroli principis nepotem captum abduxerunt Leodium. Hujus rei indignitate permotus Carolus undique magno ſtudio contractis copiis, movit in Leodinos. Erat tunc temporis eorum urbs non ſolum magna & egregiè munita, verum etiam florentiſſima & caput ejus gentis. Magnitudinis argumentũ fuit quod in ea tum viſebantur templa numero triginta duo, nos vulgò dicimus Ecleſias parrochiales. Ad hanc igitur urbem caſtra Burgundus, exercitumq; partitus, eam non uno loco circumſedit, poſtridie ut ſperabat expugnaturus, niſi pluvio cœlo impeditus fuiſſet. Auxilia ad ejus expugnationem oppidi, miſit Gallorum Rex Ludovicus, qui & ipſe magnâ ex parte gerendis rebus interfuit. Carolus paucis diebus obſeſſum Leodium, validèque interea ab incolis defenſum, noviſſimè vi cepit, captum diripuit, direptum evertit, multis prius ac variis ſævitiæ exemplis à milite ipſius editis. Antonius Sabellicus in opere cui titulum prætulit Zapſodiæ An. 1468.

 hiſto-

hiſtoriarum author eſt, Burgundum ſummo id bellum odio ſuſcepiſſe: Nam expeditionis ejus ducibus ab eo mandatum eſt, ut una manu exertum gladium, altera geſtarent facem ardentem, jis nimirum rebus miſeræ genti exitium minitantes. Captam urbem Gallus cum Burgundo ingreſſus, pectore non rectam, ſed S. Andreæ crucem habuiſſe dicitur, ut hoc facto innueret omnem ejus belli gloriam ad Carolum pertinere.

Unde crux Burgundica.

§. 123. *DE AQUISGRANI INCOLIS à CAROLO veniam petentibus.*

Leodinos jam obſeſſos, Aquisgrani cives & incolæ commeatibus juverant. Quod urbe captâ, iniquiore animo ferens Burgundus cum lectiſſimâ manu Trajectum ad Moſam proficiſcitur, inde quamprimùm in Aquisgranos educturus. Aquisgrani hoc audito, non arma parant, non urbem muniunt, non ea quæ ad reſiſtendum erant neceſſaria circunſpiciunt, ſed metu & immodico pavore conſternati, primores ſuos Trajectum miſerunt. Ubi ad Caroli Principis conſpectum humiliter provoluti, ſtatim & ultro portarum clavibus traditis, oppidi totius imperium illi permiſerunt. Gratum fuit Burgundo obſequium, grata humilitas. Proinde venia data, ſed hac conditione, ut propter adjutum hoſtem octoginta florenorum millia, Duci intra ſtatutum tempus adnumerarent.

Aquisgranum à Burgundo captum Jure belli, pertinet ad Auſtriacos.

§. 124. *DE ANIMADVERSIONE CAROLI Audacis in Spoliatores Eccleſiarum.*

Secundum hæc Bruxellam, ubi Ducatis ſedes erat, reverſus Carolus, & gratiam omnibus retulit

qui ſuperiore Leodienſi bello ſtrenuam operam navaſſent, & in eos animadvertit, qui urbe capta è ſacris locis quippiam ſuſtuliſſent. Egregius Princeps hoc facto oſtendit, nullum eſſe tam juſtum bellum, in quo non ſit à Divorum templis atque aris temperandum.

DE REDITU PROFUGORUM Leodienſium ad ſuam urbem. §. 125.

Eodem tempore Leodinis, qui Caroli victoris metu profugi incertis ſedibus vagabantur permiſſum eſt, ut ad ſua loca redirent inſtauraturi, ſi vellent ea quæ paulo ante mil tum rabies, deformaverat. Undique igitur in urbem omni prope deſertam humano cultu immigratur. Nec ſine lachrymis immigratum fuit, dum præſertim incendio miſerabili, propemodum ſolo æquata ædificia aſpicerent.

DE SEVERITATE CAROLI AUDACIS in jure dicendo. §. 126.

Jus dixit in omnibus ſuis provinciis, haud minore ſeveritate, quàm diligentiâ non eſt paſſus ullos Judices iniquos. Nullus unquam Principum in jure dicendo minus dedit amicitiæ, pecuniæ, ſanguini. Quibus rebus nimium ſolent quidam commoveri, neque interim eſſe memores, juſtitiæ primum munus eſſe, jus ſuum unicuique tribuere, & pauperes æque ac divites benigne audire.

* * *

§. 127. DE PHRYSIIS, ET MOTU SEQUUTO expulſionem Eduardi Anglorum Regis, qui ſocer Caroli.

PAucis poſt annis Phryſiæ orientalis populi, quum Burgundionum Ducis imperium detrectarent, miſſi ſunt hinc inde legati, per quos de pace & parendi conditionibus ageretur, quanquam libertatis gens amantior, nullas niſi æquiſſimas conditiones admiſſura videbatur. Carolus animadverſa gentis pertinacia, terribili armorum apparatu mox erat fines eorum ingreſſurus, niſi ad tempus diſſimulandum ratus, alio mentem convertiſſet. Circa eadem tempora maximus armorum motus in Britannia extitit, pulſo & ejecto nobilium conjuratione Eduardo Rege, Caroli Burgundi ſocero. Neque reſedit hic motus citra humanum cruorem. Ante Caliſium & alia quædam loca ingenti edita cæde. Cujus rei nobis eſt author Sabellicus, veteris ac recentis hiſtoriæ ſcrutator, meo judicio non indiligens.

Rex Angliæ exul.

§. 128. DE STELLA COMATA VISA CAROLI Audacis temporibus.

ANno dominici natalis, Milleſimo, quadringenteſimo, ſeptuageſimo ſecundo, menſe Januario ſub feſtum diem Agnetis exorta eſt crinita ſtella, quæ maximo horrore mortalium, viſa, fulſit per continuos tres menſes. Multa hunc cometam ſequuta bella, atque ingens hominum cædes & peſtilentia, quæ pluribus locis atrociter ſævijt.

* * *

DE

DE ARNOLDO GELRIÆ PRINCIPE *carcere educto, & Adolphi filij hujus per Carolum apprehenſione, & de bello Gelrico.* §. 125.

PER idem ferè tempus opera & ſtudio Burgundi cuſtodia dimiſſus eſt Arnoldus Gelriæ Princeps, quem filius Adolphus ſeptennium totum in vinculis detinuerat. Quam cauſam huic in parentem violentiæ prætenderit non tradunt, quibus curæ fuit iſtorum Principum res geſtas conſcribere. Illud reperio Adolphum poſtea accerſitum ad Carolum Principem uti de communibus rebus inter ſe commentarentur. Sed quum impius ille multa eo congreſſu ſe digna Caroloque indigna locutus eſſet, primo diebus aliquot ſervare juſſus, mox Vilvordiam (Brabantiæ oppidum) abducitur, ubi cuſtodiæ traditus manſit uſque ad obitum Caroli. Duplex deinde fama eſt, quomodo acceſſerit Burgundo Gelriæ Principatus. Quidam eum emiſſe ſcribunt à Duce Juliacenſi, qui tum verus eſſe credebatur hæres ejus terræ. Alij traduut Arnoldum paulo antequam vita decederet Adolpho filio infenſum, exhæredato eo Principatum ceſſiſſe Burgundionum Duci Carolo, qui defuncto jam Arnoldo miſit illico ad ſingula pene ejus regionis oppida legatos, ut ſi rebus ſuis conſultum vellent, Caroli imperium reciperent. Quod ſi facere recuſarent, haud dubie futurum, ut egregius Princeps armis repeteret ſuam terram. Legatis ſuperbè reſponſum, neminem eſſe tota Gelria qui magnopore Caroli minas pertimeſceret, ſi acie certare vellet, non defuturos qui patriam defenderent. Hæc ubi renunciaſſent legati, ſtatim cum exercitu profectus in Gelriam Carolus, primum Ruremondanis recipitur, atque his initiis perterriti vicini, ultro deditione facta, in gratiam ſunt accepti.

Geldria ex Teſtamento venit ad Burgundū.

Oppidu Venlo diebus aliquot obſeſſum eſt, ac noviſſimè, apertis Principi portis, omnia ſunt illi in manum tradita. Poſtea & Noviomagum clariſſimum Gelriæ oppidum, viginti quinque diebus vane oppugnatum ad deditionem compellitur. A cujus civibus ingenti lætitia introductus Carolus totius Gelriæ principatum ſuſcepit. In eadem urbe ad ſe adductos mortui Arnoldi ex filio nepotes, primum eſt oſculatus, deinde è conſpectu ſummoros juſſit avehi Gandavum ad uxorem ſuam Margaretam, ſic reperio apud quosdam. Alij dicunt pueros illos non Gandavum miſſos, ſed una cum principe avectos eſſe in Brabantiam, ubi ſint plures annos honorifice habiti. Noviomagi principatu Gelriæ (ut dixi) ſuſcepto, à cæteris quoque ejus terræ oppidis Burgundus recipitur, ac poſtremo comitatui (ut vocant) Sutphaniæ, ſolennibus etiam cæremoniis initiatur.

Calor æſtatis italicus. Æſtas qua ſubacta eſt à Caroli armis Gelria, fuit citra omnem hominum memoriam calida, diverſis locis & homines & bruta animantia intolerandis petiere caloribus.

§.130. *DE CONGRESSV DVORVM PRINCIPVM potentiſſimorum Friderici imperatoris, & Caroli ducis.*

ANNI hujus autumno Fridericus imperator pulcherrimo comitatu, in quo multi egregij Præſules, multi inſignes Duces, ac illuſtres erant optimates, venit Treviros (eſt hæc civitas ad Moſellam fluvium ſita) ut cum Carolo Burgundionum Principe de multis ac variis rebus coram loqueretur. Carolus vero ut veniſſe audivit Imperatorem, compoſitis in Gelria rebus, eo confeſtim eſt profectus, longe pulcherrimâ comitante pompâ. Invenio Principi non longe diſſito à Treviris obviam itum ab Imperatore, tum urbem tubis, aliisque id genus circum-

circunſonantibus inſtrumentis pariter ingreſſi, dies aliquot unà fuerunt. Interim Carolus nihil non opum, nihil non ſplendoris effudit, ad decorandum Imperatoris adventum. Convivium, cui per eos dies Imperator eſt à Carolo adhibitus ejusmodi fuit, ut propemodum nuptias illas (de quibus §.120. diximus) apparatu, & magnificentia æquaverit. De hoc Friderici Imperatoris, & ducis Caroli congreſſu extat, epiſtola, eximie docti viri Rodolphi Agricolæ.

DE PARLAMENTO MECHLINIÆ per Carolum Ducem inſtituto, & ſepulturâ à parentum ejus. §.131.

REverſus ab imperatore Carolus, Mechliniæ curiam inſtituit, quâ non erat alia in orbe Chriſtiano celebrior futura, ſi fœliciter inchoatum à Carolo Principe concilium inſequentes pari cura fovere, ornare, atque ampliare ſtuduiſſent. Hæc curia prælata cæteris, conſtituta erat cauſarũ omnis generis juſta ac per impartiales Reviſores brevis diſceptatrix, Conſiliarij omnes viri docti, perſpicaces, acri judicio, juſti & ſobrij. Dixiſſes Areopagitarum concilium illud eſſe, ea gravitate, doctrina, prudentiaque lites dirimebant, ſuum cuique reddentes. Ad locum audiendis controverſiis deſtinatum equites ibant, Curiam ingreſſis, paratum erat ſacrum. In hoc precabatur ſacerdos, uti optimus deus ejusmodi ſuis mentem daret, ut eo die concilio prodeſſe aliis & poſſent & vellent. Sacro facto, locum tractandis reipublicæ negotiis conſtitutum ingrediebantur. Unde poſt horas aliquot ad meridiem egreſſus eos excipiebat. Iterum ſacrificus alterum facturus ſacrum, in quo deum precaretur, ut ejus dei conſilia, commodo eſſe vellet reipublicæ. Ad hæc honoris ademptionem his fuerat interminatus Carolus, ſi quid

per

per ſocordiam aut paſſiones prætériiſſent, quod ad ſubditorum commodum pertinere videretur. Adeo nihil hic princeps, niſi de publico cogitabat. Hæc itaque ſic ordinatis, ad parentum ſuorum ſepulturam animum adjecit. Utriuſque igitur patris matriſque corpus, longis itineribus in Burgundiam deportatum ſepelitur in Carthuſienſium monaſterio, quod extra Digium urbem viſitur, non incelebre. Singulis per oppidis, qua erat iter faciendum, celebratæ exequiæ, nullo adhibito honoribus modo.

Charthuſia Magnatū ſepultura.

§. 132. *DE OBSIDIONE NOVESII, PER CAROLUM Audacem.*

PER id tempus Rupertus Beyeren Colonienſium Archiepiſcopus, multum eſt apud Carolum Burgundum cognatum ſuum queſtus, magno conatu obſtare Colonienſes, & oppida circumjecta quo minus ipſe debitos ſibi annuos proventus ex locis illis reciperet. Quo audito Burgundus, ut Ruperto (alij habent Roberto) præter cognationis vinculum etiam chariſſimo ſubveniret, conſcripto ingenti equitum ac peditum exercitu, fines ditionis ſuæ egreſſus, ad bellum Colonienſium, & finitimis inferendum properat. Noveſium Coloniæ vicinum cœptum eſt obſideri mediis Julij caloribus. Advexerat ſecum Princeps immenſæ molis bombardas, quibus non uno loco disjectâ murorum parte multum & urbis ædificiis damni illatum, & magna incolarum facta ſtrages. Lego urbem multa vi oppugnatam, aliquanto etiam majore præſidio à civibus defenſam. Erat præſidij præfectus Hermannus quidam comitis Heſſenij frater, cujus virtute oppidum incolume manſit, inter maximos terrores. Nam ut cætera obſidionis mala prætercam, ab his etiam qui intus erant fame ac rerum omnium tanta inopia laboratum eſt, ut equi, inſtrumenta militiæ, pluribus victui

[Q]ui fuerint. Apud quoſdam invenio; paucis [d]iebus in alimoniā civium abſumptos CCCC. equos. [H]ic nihil dico de prœliis quæ durante obſidione inter [o]bſeſſos & Burgundum fuere. Ex multis enim dun[t]axat inſignia conſector: Aſſidebant noſtri homines [N]oveſium, quum Imperator Fridericus Agrippinam [v]eniſſet, ut cum Burgundo vel confligeret, vel ob[ſi]dione Noveſium liberaret. Hoc audito Carolus, [t]antum abfuit, ut fugam circumſpexerit, aut de ſol[v]enda obſidione cogitarit, ut inſtructos ſuos etiam produxerit, avidus certaminis. Verum continuit ſeſe [i]ntra ſepta Fridericus imperator, vel non auſus dimicare, vel quia ſperaret futurum, ut imperatoris adventu perterritus Burgundus, inde ſubito diſcederet. Quum nihil tale poſt dies aliquot eveniſſet, videreturque Dux in incœpto bello perſeveraturus, eſt inter eum ac Imperatorium militem ſatis atrociter pugnatum, vicitque Burgundus tanto gloria major, quanto bellicoſiorem fuderat hoſtem. Et hanc victoriam potiùs virtuti quàm fortunæ debuit, nam & aciem peritiſſimè inſtruxerat, & promptiſſimè omnes [p]ugnaverant. Non eſt poſt eum diem Romanus [P]rinceps auſus cum Carolo manum conſerere. Itaque de pace agi cœptum per ſummi pontificis legatum Alexandrum Antiſtitem Forolivienſem, qui noctes dieſque Principes hortari, ut arma exuerent, Burgundus Noveſio diſcederet, quoad de re ma[j]orius cognoſceretur, eſſetque Pontificis maximi [e]a cognitio. His utrinque acceptis, pax ſancita eſt, [qu]am excepit Gallicum bellum.

Burgund Vicit Imperatorem Fridericum III.

Pax concluſa inter Cæſarem & Burgundũ.

[D]E BELLO CAROLI AUDACIS ADVERSUS *Gallos.* §. 133.

NAm Ludovicus rex Gallorum Artheſiam & Picardiam ingreſſus, plurima Caroli Ducis oppida [c]epta, diripuit. Quo ſucceſſu elatus, de Atrebato etiam

etiam oppugnando cogitavit. Verum huc tempeſtivè miſſum præſidium, Galli conatus irritos fecit. Prius tamen quàm Ludovicus ex his locis milites abduceret, pugnatum lego inter eum, ac Duces, quos miſerat Carolus ad tuendum Attrebatum. Vicit Gallus, qui ut erat numero militum ſuperior, ita cum longius abeſſet Carolus, multo etiam plus animi ſecum attulerat.

§. 134. *DE ADVENTV EDVARDI REGIS ANGLIÆ ad Carolum Audacem, & de induciis cum Gallo.*

AB Noveſij longâ obſidione domum reverſo Carolo nunciatur, appuliſſe Caliſiam Eduardum Anglorum regem, cui ejus tam laborioſi itineris cauſa fuit, ut cum Carolo, qui rurſus ingentem contraxerat exercitum, ſuas copias jungeret. Ita enim priùs inter eos convenerat. Una igitur Galliam ingreſſi, tantum terroris Ludovico incuſſerunt, ut is repente convocatis regni primoribus, eos veluti in re trepida anxius conſuluerint, quo pacto eſſet infeſtiſſimo hoſti reſiſtendum. Placuitque tum legatos mitti, qui pacem peterent. Auditi legati, non pacem, ſed novem annorum inducias impetrarunt. Hic tam inſperatus rei exitus, ut incredibili Gallos lætitia affecit, ita Anglorum principes male habuit, quibus immodica vaſtandæ Galliæ cupiditas in ceſſerat.

§. 135. *DE BELLO GESTO IN LOTHARingia.*

EDuardus undecim hebdomadibus in Caroli provinciis commoratus, ad ſuos transmiſit menſe Septembri, quo tempore, & Carolus Namurco veiht

venit: unde cum ingenti militium numero ante exitum ejus menſis in Lotharingiam, ob fœdera ſibi non ſervata, profectus, impetu primo urbeculas aliquot vi cepit, captas, præſidio munivit. Quo ſucceſſu ducis perterritus Renatus ejus terræ princeps, annos natus circiter viginti, cum aliquot nobilioribus viris in Galliam fugit, ne vivus in hoſtium poteſtatem veniret. Fuga principis adeo fracti ſunt omnium animi, ut effuſus Caroli exercitus, paucis diebus loca plurima occuparit. Noviſſime obſeſſum Nantium longe municiſſimum oppidum, tenuit obſidio illa novem hebdomadas. Urbs interea multum ſtrenue defenſa, tandem fame domatur. Itaque facta deditione, cives vita donati, præter duos tresvè, qui ultimo ſunt affecti ſupplicio. Animadverſionis hujus cauſa non traditur a ſcriptoribus. Urbem deditam Carolus præſidio firmavit, atque inde digreſſus, totam Lotharingiam brevi ad obſequium redegit. Fuit hæc ultima ejus victoria. Vulgo creditum eſt, omni favore numinis deſtitutum eum, poſtea nunquam fœliciter pugnaſſe cum hoſte, quod eodem tempore graviſſimis exactionibus clerum oneraſſet.

DE BELLO CAROLI AUDACIS CONTRA Helvetios. §. 136.

SUbactis Lotharingis non diu in ocio fuit Carolus, ſed belli, am gloriam augendi cupidior, tranſtulit inde bellum in Helvetios, quod hi populi non multo ante Sabaudiam (ubi præerat neptis ejus) tumultuoſe ingreſſi omnia terroris ac prædæ compleverant. Itaque primum ſunt miſſi ab Helvetiis legati, quos princeps Carolus vix auditos juſſit confeſtim abſcedere, atque ipſe eodem tempore ſequutus in urbe Granſonia, quam nonnulli dicunt ab eo tum expugnatam, plures Helvetios in crucem ſuſtulit.

Quo

Quo facto commota & irritata gens pugnatior, contracto exercitu hoſtem Burgundum adoritur cum ſpe aut occidendi ejus aut fugandi. Helvetiorum impetu degravatus Caroli miles primo avertitur, inde fuſus fugatusque multa cum cæde diſſipatur. Fuiſſet in eo prælio captus princeps, niſi relictis ſuis loco diſceſſiſſet fugienti ſimilis. Sunt qui ſcribant hic periiſſe opes Caroli ducis, tantum vaſorum aureorum argenteorumq; ac veſtium omnis generis ab hoſte deportatū, amiſſus & omnis bellicus apparatus. Exprimi verbis non poteſt quantum ex hac inimicæ gentis victoriâ dolorem animo conceperit victus Burgundio, qui vincere ſemper antea conſueverat. Vir alto ſpiritu, ac nimium quietis impatiens, neque die, neque noctu ſomnium capere potuit. Itaque reparato exercitu, iterum Helvetios adoritur, cum quibus infœliciſſimè nuper dimicaverat. Hic quoque vicit ac ſuperior fuit Helvetius, quippe qui numero militum præſtabat. Pars maxima Burgundionum aut capta aut cæſa, nullus fere clari nominis fuit ex noſtris, qui non illic ceciderit præter ipſum Ducē, qui re perditâ ac profligatâ cum paucis fugæ comitibus, fuga ſervatus eſt. Joanni baptiſtæ dies fuit quo Helvetij & Burgundiones tanta animorum pertinacia conflixere, qui huic proximus dies illuxit facile declaravit, quàm terra ſit ibi loci edita cædes, numerata ei ſunt à quibusdam, 26. millia occiſorum.

§. 137. *DE RECVPERATO NANTIO PER RENATVM, & ejusdem urbis obſidione per Carolum ducem.*

Malus ſtatus & miſeria maledictis à Deo Principis. HAc clade ſuorum conſternatus Carolus in maximum luctum ac mœrorem incidit, nunc ſecum reputans quantum hominum proximis duobus prælijs, ſua temeritate orco demiſiſſet, nunc exiſtimans nihil eſſe turpius, quàm vinci eum Ducem, qui toties

ipſe

ipſe fortiſſimos populos ad obſequium redegiſſet. Cæterum Caroli malis, & tam nobili Helvetiorum victoria ejecti plures populi conſociatis viribus ut unum hominem extinguant. Ad arma concurrunt, ac ductu Renati principis Lotharingiæ, Nantium ubi à Carolo præſidium fuerat relictum obſidione cingunt, nec multis interpoſitis diebus idem oppidum prius expugnant, quàm Burgundus eo cum ſuis copiis accurrere potuit. Expectabat enim ex Brabantia, & finitimis locis novum exercitum, quo accepto properans in Lotharingiam, Nantium iterum obſedit. His locis ab hoſte (quod minimè futurum verebatur) circumclauſus, tanta rerum omnium inopia laboravit, ut in ejus exercitu plures fame ſint extincti. Itaque indignantium militum voces paſſim exauditæ, ſatius fuiſſe dictitantium, in patria manere, ubi conjugibus ſuis ac liberis aſſidentes, nulla interim neque cibi neque potus inopia premerentur. Abductos ſe in ea loca quibus aut procul à patriæ conſpectu moriendum ſit, aut quod morte miſerius eſt ac triſtius in ſervitute vivendum. Hæ militum querelæ non dubium eſt, quin Principem ſuorum amantiſſimum commoverint, verum in eo ſtatu res erat, ut mederi tantis malis non potuerit. *Gravamina militū.*

DE PRÆLIO ANTE NANTIUM, & cæde Caroli Audacis. §. 138.

HAud multo poſt Lotharingus ad pugnam evocat Burgundum, qui una parte copiarum in obſidione relicta, ſtatim venit ad locum certamini conſtitutum, aciе dimicaturus cum paucis adverſus tam multos. Hic ſuos perterritos hortatus dicitur ut alacres irent & gloriam à majoribus acceptam poſteris relinquerent, adeo non eſſe formidandum hoſtem. Helvetium qui pavore Burgundici agminis haud ſua virtute bis fœliciter antea dimicaſſet, 1476.

numero

numero militum vincere Helvetium, ſed non tam modicis copiis præpotens fuſos eſſe exercitus, in hanc ſententiam ubi pauca nequicquam dixiſſet, canentibus ſignis Renati miles cum tanto fremitu & clamore in hoſtem procurrit, ut ſtatim turbatum cum loco ſummoverit. Neque difficile admodum erat, pugnabant enim cum recentibus & integris, debiles macie confecti. Primum igitur facta fuga, deinde innumeri cæſi ac primo impetu obtriti ex noſtris. Quis tam beata rerum ac verborum copia inſtructus ut cladem ejus multiplicem, devictorum fœdiſſimam fugam, cædem nunc ſingulorum, nunc univerſorum merito deploret? Vidiſſes alios qua breviſſima patebat via trepidos fugere, alios per præcipitia nunc ſaxis aſpera, nunc obducta ſentibus, loca petere, quæ hoſtibus ignota putarent. Fatigata, ſiti propemodum enecta & ſaucia paſſim corpora jacebant. E proximis vero locis, virorum clamor & fœminarum ululatus audiebantur. Hac pugna Carolus ipſe qui eo die & ſæpè alias majore animo quàm conſilio dimicaverat, tribus plagis media jacentium ſtrage confoſſus interiit, pridie Epiphaniæ. Hic finis fuit Principis omniũ qui ea tempeſtate fuerunt bellicoſiſſimi. Annus ille, quo dux tam nobilis ante Nancium cæſus eſt, fuit humanæ ſalutis M. cccc lxxvj. ita colligit Sabellicus. Alij duos adjiciunt, rurſus alij quinque ſubtrahunt annos.

§. 139. *DE CAROLI AUDACIS SEPULTURA & ſermone qui de eo jam mortuo fuerit.*

AB illâ pugnâ exacto jam triduo, Caroli corpus certiſſimis ſignis agnitum ſepelitur Nancij in æde S. Georgij. Quum ſepeliretur intuentibus qui ex clade illa ſupererant, oborræ lachrymæ, non erant enim ignari qualem patria Ducẽ amiſiſſet.

Obver-

Obverſabatur oculis multa viri virtus, hærebat fixus in pectoribus adſtantium vultus militem in prælium educentis. Occurrebat quo animo urbes oppugnaret, muros conſcendere, hoſtem loco ſummovere conſuevìſſet. Cæterum proximo ſeptennio quod eſt viri cædem inſequutum, omnibus locis multus & varius de illo jactatus eſt ſermo, affirmantibus quibusdam vivere eum Bruxellæ oppidulo Sueviæ. Aliis contradicentibus, non interemptum ante Nantium, ſed captum & abductum in Gallias, ibi in conſpectu Regis Ludovici gladio admotum periiſſe. Spes de Caroli vitâ, quæ poſtea vaniſſima comperta eſt, in cauſa fuit ut pauciſſimis locis celebratæ ſint ejus exequiæ.

DE LVCTV ET LÆTITIA QVORVNDAM ſuper morte Caroli Audacis. §.140.

Morte Principis hujus, plurimi triſtati, quidam lætati ſunt. Oderant ji impendio pugnacem. Oderant ob aſſidua bella pecuniæ exactorem. Defuncto tamen eo, in Brabantia & Flandria exorti & ſequuti majores motus fecere, ut reviviſcere Carolum omnes cupierint.

DE FILIA, ET VXORE CAROLI Audacis, §.141.

Filiam reliquit hæredem Mariam, excellenti forma virginem: Quæ illi ex Yſabella Portugalla conjuge ſecunda (tres enim duxerat) ſuſcepta, nupſit poſtea Maximiliano, Friderici imperatoris filio. Ultima ejus uxor Margareta defuncto marito, pluribus annis ſupervixit. Certe multorum bono, ſuis omnium facultatibus interim præclara fovit ingenia, *Amor erga litteratos.* undiquaque modis omnibus partim culpa temporum, partim Principũ negligentia ac vitio jacentes literas

 præci-

præcipuè ſacras excitare. Nulli unquam attribuit ſacerdotium, niſi priùs & eruditionem, & vitam inſpexiſſet. Quod utinam & hodie facerent Principes, non tam multos paſſim videremus idiotas in Ecclesia dei, quos fortaſſe præſtaret defricandis principum matulis, quàm choro aut Juſtit æ præſidere. Mechliniæ ſepulta eſt hæc nobiliſſima fœmina, in cœnobio Minoritanorum. Ex qua Carolus nihil liberorum tulit.

§.142. *DE PRVDENTIA AC ALIIS BONIS moribus Caroli Audacis.*

HActenus de geſtis Caroli ducis: Nunc ſummatim exponam quæ de ingenio & moribus ejus habeo comperta. Prælia multa ſic aſſumpſit, ut militem ſæpiùs nihil tale cogitantem, juſſerit acceptis armis in hoſtem ire, pluvio interdum cœlo, & graviſſimis tempeſtatibus, quum minimè educturus putaretur. Et quod mirum videri poteſt nec provectior quidem, ad conſerendas cum hoſte manus cunctatior factus, quo ſæpius victor abjiſſet; hoc magis incertum pugnæ eventum experiundum opinabatur. Nullo unquam prælio vicit, quo non ſtatim ſit fugientem hoſtem inſequutus. Adeo nihil ſpatij datum ab eo, perterritis.

Victum quum vici præſtet inſequi hoſtem.

§.143. *DE PROBITATE ET DISCIPLINA ejus in milites.*

INter milites ſuos, neque morum, neque fortunarum, ſed virium reſpectu alium alij præferebat, & erat in his tractandis nunc ſeverus, nunc facilis. Haud enim omni loco ac tempore, ſed quum non procul abeſſet hoſtis, coercere eos & comprimere ſolebat. Ita factum, ut nunciato in prælium exeundi tempore ſemper eos & paratos & intentos haberet.

DE

DE COERCITIONE MILITVM, ET AMORE in eoſdem. §. 144.

DEſertorem ac furacem militem acerrime puniebat, cætera plerunque diſſimulans. Quendam patibulo ſuffixit, qui aniculæ gallinam ſubtraxerat. Amabat etiam ſuos uſque adeo, ut nullo non benevolentiæ officio proſequeretur. Adverſa valetudine laborantes, & ſaucios medicis committebat fideliſſimis.

QVOMODO NON SIT PASSVS MILITEM luxuria diffluere. §. 145

IN hoc Cæſarem illum dictatorem aut Africanum, Scipionem, aut Metellum præclarum ducem referebat, quod in ſuo exercitu nihil eorum paſſus eſt, quibus corrupti & effœminati militum animi a ſtudio rei militaris averterentur. Aberant enim adipata, abſonia & bellaria. Exulabat commeſſatio. Exulabant reliqua omnia, ad luxuriam pertinentia. Vulgari cibo contenti, procul à fame ſervabantur, adque obeunda militaria officia hoc pacto expeditiores ibant. *Ars conſervandi milites.*

QVANTVS FVERIT ÆMVLVS Alexandri Magni. §. 146

CArolus rebus gerendis natus, jam inde ab obitu patris ſui Philippi, tantum ſe præbuit Alexandri Magni æmulum, ut pene ille ipſe ſit factus. Nihil and re libentius, nihil majore animi voluptate ſolebat legere, quam authores qui de Alexandro quippiam ſcripſiſſent. Unde factum eſt, ut omnia illius egregia & laudabilia facinora, memoriæ mandaverit, oblataque occaſione, nunquam non ſtuduerit imitari.

§ 147. DE CONSILIO CAROLI *Audacis.*

UNum erat in quo merito culpari potuit, præcipitatum conſilium. Nam & bella quædam ſuſcepit, nullo prudentium (quos ſecum habebat) in conſilium adhibito. Hunc tam præcipitis, conſilii virum, in caſtris Hannibalem, in conficiendis itineribus Julium, aut Alexandrum quendam dixiſſes. Algoris enim, & ſolis juxta patiens fuit. Tot illi frigidæ hyemes ac torridæ ſub pellibus & ſub dio ſunt transactæ æſtates. Itinera vero tanta celeritate confecit, ut ſæpius de ſuo adventu, præmiſſos nuncios, anteverterit, ſæpius hoſtem de improviſo oppreſſerit.

§ 148. SVCCEDIT VNICA FILIA MARIA *Carolo Audaci.*

POſtquam Carolus in humanis eſſe deſiiſſet, Brabantiæ, Flandriæ, Hollandiæ, aliarumque regionum finitimarum principatus in Mariam filiam ejus unicam recidit. Quæ Gandavi agebat, quum triſtiſſimum de cæde parentis acciperet nuntium. Venerunt illuc haud multo poſt illuſtres viri complures, partim conſolaturi fœminam, quæ parentis obitum, ut par fuit, graviter moleſteque ferebat. Partim cum eâ de reipub. adminiſtratione collocuturi. In his erant Ludovicus Borbonius Leodiorum tunc temporis Antiſtes, David Burgundio Trajectinus in Hollandia epiſcopus Mariæ patruus. Hic enim Caroli frater, ſed nothus erat, Joannes dux Clivenſium, & Adolphus Ravenſteynius fratres, Vuolfardus Veriensium Princeps, Ludovicus comes [illegible] Hollandiæ, Selandiæ ac Phryſiæ præfectus, [illegible]odius. Quibus Gandavum ingreſſis [illegible] eadem urbe Maria Principatum Flandriæ ſuſcepit, ac

poſtea

privilegia civibus reddidit omnia, quæ pater ob excidium ſe præſente tumultum illis ademerat.

LEGATI IN GALLIAM MISSI, ET MAGNI aliquot viri ſupplicio admoti. §. 142.

POſt hæc, Maria ad Regem Galliarum Ludovicum legatos miſit: Guolphardum Verſelanum, Ludovicum Bruchuſium, & Guilhelmum Hugonetum, qui cancellarius fuerat Caroli, ut hi ſuo nomine Regi de conſervanda pace inſinuarent. Legatos priuſquam admitteret Rex Ludovicus, duo ab his Mariæ cognatæ ſuæ renunciari voluit: ut orbata parente, ſe tutorem illa rerum ſuarum acciperet, eidemque filio ſuo Carolo, qui tum annos natus erat duntaxat ſeptem, nuberet. Ad Principem ſuam reverſi legati, hæc ita ut juſſi fuerant renuntiarunt. Prius animo reſpondit Maria. Patris interea mortui Camerarius ſuadere ut id faceret, ad poſtremum etiam dicere, utique bene eam rebus ſuis conſulere, ut quæ has nuptias, & illum tam potentem, & ſanguine junctum Principem tutorem recuſaret. Quodam igitur die ſub veſperam, ad ſe ingreſſo Adolpho Raveſteynio Principi, multis cum lachrymis queritur, nimis ſibi moleſtum eſſe Hugonetum, qui non deſiſteret inſtare, ut quæ Rex Ludovicus proxima legatione petiiſſet, ea faceret, quandoquidem haud alia via pacem ab illo impetratura videretur, Exierant enim induciæ. His auditis, Adolphus paucis eam, ut potuit, conſolatus, abiit. ac re cum tribunis populi Gandavenum communicatâ, efficit ut ſtatim apprehenderetur Hugonetus. Qua nocte hæc acciderūt, clanculū fugit Princeps Humbercurtius. Is cū dies aliquot latuiſſet in Carthuſiano extra Gandavum cœnobio, apprehenſus & ipſe in oppidū retrahitur: Ita his tribus viris in vincula cōjectis, populus aliquandiu in armis fuit. Hugonetus quæſtioni admotus, tandem confeſſus, traditur a ſe

Detecta proditio mali conſiliary cõtra Carolum Audacem. ſuppreſſas literas Caroli principis, quas ille ante Nantium inopia rerum omnium laborans, quæ ad bellum gerendum neceſſariæ eſſent, ad ſuos conſcripſerat hoc argumento. Niſi pecunia & commeatus, belli ſubſidia mitterentur, actum de ſe ac ſuo exercitu eſſe. Rabies igitur ac vulgi furor invito magiſtratu, invitâ etiam Principe, Hugonetum, Humbercurtium, & Joannem mel cognomento, gladio ſubjecit.

§. 150. *MAXIMILIANO DESPONSATA MARIA, Gallus Atrebatum obſidet. Alia quædam occupat loca & Burgundiam.*

1475. TReviris in Germania Friderici imperatoris filio Maximiliano filiam unicam Mariam deſponderat Carolus, anno ſalutis humanæ, Milleſimo, quadringenteſimo, ſeptuageſimo quinto. Nec multo poſt ante Nantium cæſus Princeps nobiliſſimus. *Galli irati occupant Burgandiã & alia loca.* Gallorum itaque rex Ludovicus quum audiſſet futurum, ut Maximiliano Friderici filio nuberet Maria, plenus irarum ſubito contractis viribus Atrebatum venit, quam urbem dies aliquot aſſiduis bombardarum ictibus oppugnatam, ad poſtremum in deditionem accepit, pluribus ejectis, quibusdam etiam occiſis qui Mariæ favebant. Ingreſſus Artheſiam vi cepit oppida quæ Burgundo ceſſerant, quo tempore pugnatum eſt ad montem Henrici, ut alio diximus loco. Sub idem tempus & Burgundiam noſtratibus ademit, exiſtimans eam jure hæreditario mulieris accedere non poſſe, nam virilem ſtirpem nullam reliquerat Carolus. Videbantur galli & alia occupaturi loca, niſi reſiſteretur. Itaque conſcriptus exercitus mittitur Ardennas in Hannoniam. Huc armatâ manu accurrens hoſtis, oppidulum expugnat. ducẽs copiarum nobiles ac generoſi viri omnes magno ſunt poſtea redempti litro Tornacum

Capti

eodem

eodem tempore à Gallis præſidio firmatum, unde quotidianis prope incurſionibus factis in Flandricum agrum irritati Flandri copias contrahunt. Copiarum imperium defertur Adolpho Principi Gelriæ, qui per id tempus attentè euſtodiebatur in arce Corttraci. Hunc virum cuſtodia eductum, ſequuti milites, vaſtato latiſſimè Tornacenſium agro, ad ipſa uſque mœnia urbis acceſſere. Amiſſo duce, Flandri retro abiere, ubi nullo adhuc memorabili edito facinore, dux Adolphus in viridi quodam pratulo, ab his qui ſe portis effuderant, occiditur, fruſtra eum defendente Joanne Grachio, qui & ipſe loco eodem confoſſus eſt. Mortui Ducis corpus avectum, honorificè funeratur apud Tornacenſes. De hac victoriâ ſuorum factus certior Rex Ludovicus, venit in ſpem totius propediem in ſuam poteſtatem redigendæ Flandriæ.

DEFICIVNT GELRII à MARIA, BVRGVNDA in Buſcoducenſes educunt, Brabanticum agrum latè vaſtant. §.151.

Occiſo ante Tornacum Adolpho, deſciverunt & Gelrij à Maria: Cujus authores defectionis fuiſſe traduntur Noviomagenſes & Sutphanij. Catharinæ ſorori nuper cæſi Adolphi traditâ adminiſtratione, Gelrii ex noſtris ceperunt claris ornatos natalibus viros, Fridericum Iſelſteynium, & Guilielmum Egmondanum, cum parte familiæ utriuſque. Hos Noviomagum perductos, triennium perpetuum vinctos ſervarunt. Poſtea ſuarum Imperium copiarum Friderico Bruunſwicenſium Principi in Gelriam accerſito, decreverunt. Quo Duce freti, in agrum Buſciducenſem incurſionem fecere. Sed hi reſiſtentes, multo plus damni Gelrio intulerunt, quam antea accepiſſent ipſi. Obſidebant & Graveam oppidulum. Hic omnibus clauſis itineribus,

 que

qua commeatus ad obſidionem inferri potuiſſet, brevi ad deditionem compulſi cives Geldrii. Subinde [illegible] & in Brabanticum agrum & Clivenſem tumultuarie evecti, pluribus locis atroci excitato incendio, multos ex utraque gente captivos abduxerunt.

§. 152. *TVMVLTVS CIVIVM BRVXELL.*

Ex plebe creati magiſtratus, melius regnant.

NOvis poſtea motibus, diſcordiaque per Brabantiæ & Flandriæ oppida laboratum eſt. Bruxellæ, vulgus quum impetraſſet, ut (ſummoto magiſtratu, qui ex nobilibus aliquot familiis compluries annos ſummæ rerum præfuerant, ſibique [illegible] commoda applicaverant,) liceret plebi quotannis ex corpore civitatis, renovare Senatum. Creati igitur xv. viri ex eodem corpore, quorum ſtudio ac diligentia brevi temporis ſpacio factum, ut grande æs alienum per nobiles ad proprios uſus contractum diſſolverint, & urbem priſtino reſtituerint vigori.

§ 153. *CONSPIRATIO PLEBIS ADVERSUS PRIMORE. Lovanii, a[illegible] oppidi præfectus conſpirationis dux. Paulus Iunker in Senatu decollatur.*

PER eadem tempora fuit & Lovanium in motu conſpirante plebe adverſus Senatum ac primores civitatis, qui Gallorum Regi, cum quo tum ac diſſidium erat, favere dicebantur. Conſpirationis dux erat lanius quiſpiam Paulus cognomento L[illegible] vir non peſſimus omnino, ſed linguâ promptus. Hic âpprehenſum oppidi præfectum Ludovicum [illegible] nec & principes civitatis aliquot [illegible] alio, ut cu[illegible] ſu[illegible] ere non potuit [illegible] quod [illegible] T[illegible] qui vicini ſunt populi, ac[illegible]

Sic Maſanello Neapoli 1646.

cu-

[illegible] venit. Et Lovanii in tanto vulgi tumultuantis adverſus magiſtratum odio, nemo tamen reperiri potuit, qui lictoris fungi miniſterio vellet. Duravit [illegible] quoad Naſſovius Princeps, cum armato milite in Lovanienſem agrum ad comprimendos motus irrupit. Hic veriti autores tumultus futurum, ut ſi urbem expugnaſſet, capitali ſupplicio afficerentur, [illegible] diſſipati, Paulus omnium princeps in Selandiam applicuit, ubi Cruningæ, qui pagus eſt ejuſdem inſulæ, apprehenſus decollatur.

MAXIMILIANI XXIII. DUCIS BRABANTIÆ Adventus ex Germania ſuperiore, quanto idem gaudio ſit exceptus Gandavi, in qua urbe duxit uxorem Mariam. §.154

Civiles in Brabantia & Flandria tumultus, nam per 1479.
ſingulas pene urbes ea peſtis vagata eſt. conquieverunt aliqua ex parte adventu Maximiliani archi Ducis Auſtriæ, quem pater Fridericus imperator miſerat in hæc loca, ut uxorem duceret Mariam, Caroli nuper ante Nantium cæſi Ducis filiam unicam. Hæc agebat id temporis Gandavi, quo per Lovanium & Bruxellas Brabantiæ oppida cũ ornatiſſimo agmine procerum Germanorũ, quos illi proceritate inſignes, veſtituque eleganti, auroque exornatos, equis atque lanceis conſpicuos parens Fridericus adjunxerat, proficiſcitur. Jam Teneram [illegible]ndã venerat, quum Gandavũ allatus eſt nuncius adventare principẽ. Senatus ſtatim univerſus, multique alij ejuſdem urbis clari cives, ad portam [illegible]onis occurrentes, felicem Archiduci adventum gratulati ſunt. Ad ingreſſum novi Principis undique procurrere pueri, proſilire adoleſcentes, [illegible] ſe ſenes [illegible], promoliri ſenes, gratulari, applaudere, omnes ſublatis in cœlum manibus immortali Deo gratias agere. Deinde in aulam ingreſſum, [illegible] ſua virgo Maria ſponſum optatiſſimum obvius

Gandavi amplexus [illegible] a bonis Princeps [illegible] Auſtriæ [illegible]

obviis ulnis excepit, ac lachrymis gaudio manantibus eſt exoſculata. Accedens deinde Tornacenſium antiſtes, præſentibus & aulicæ nobilitatis, & Eccleſiaſticæ dignitatis ſummatibus, ſtabili eos jungit connubio Fuit hic annus, quo Archiduci Maximiliano nupſit Maria, milleſimus, quadringenteſimus, ſeptuageſimus nonus, ab eo, qui primus exordium dedit noſtræ ſaluti.

§.155. *TRAIECTENSES BELLVM HOLLANDIS inferunt Hollandi pagum Eminiſſam incendunt. Trajecti cives cum Hollando pugnant, & vincuntur.*

AB Hollandis bello poſtea Trajectenſibus indicto, Selandos invenio rogatos ut ſocius Hollandis adjungerent ſeſe, negato auxilio, medios ac velut Tragœdiæ hujus ſpectatores ſediſſe. Multum eſt utrinque acceptum incommodi. Everſæ ſunt arces, incenſi pagi. Alia nefanda pepetrata. Nardinum Hollandiæ oppidulum à Trajectenſibus captum atque direptum eſt. Quam injuriam dimicaturi Hollandi cum exercitu haud contemptibili equitum pariter ac peditum profecti, venere ad Eminiſſam. Hic pagus & ampliſſimus & munitiſſimus erat. Huc abegerant pecus omne ſuum finitimi, omnes accolæ, & alia pleraque lectos, veſtem, aurum huc importaverant. Hos adorti Hollandi, quum aliquandiu oppugnaſſent, vicerunt, victoſque ad unum omnes trucidarunt. Poſtremo direptis omnibus ædificia & publica & privata incendio conſumpta ſunt. Lego in commentariis quibuſdam rerum Hollandicarum, hunc pagum fuiſſe militaris unius longitudine. Hollandi poſt victoriam Eminiſſenſem longius evecti, feſto die prothomartyris Stephani incenderunt pagum Vueſtbruuc, credo, ut ſic ad pugnam Trajectinos evocarent, qui è portis ac munitionibus

Belli fructus deteſtandi.

ſuis conſpecto incendio, arreptis armis, cum Hollando temere congreſſi, magna ſuorum ſtrage fuſi fugatique ſunt. Fugientem hoſtem inſequuti Hollandi, parum abfuit, quin & urbem ipſam ceperint. In hac pugna cæſus eſt Conſulum alter ejus anni, multique alij & probi & opulenti cives, quos non ſpes prædæ, ſed patriæ amor ad arma conciverat.

MAXIMILIANVS IN ARTHESIAM cum exercitu proficiſcitur. Idem ante Morinum à Gallo victus, apud Lucenburgos vincit. Per Cardinalem Oſtienſem pax fruſtra tentata eſt. §.156.

ANno à Chriſti incarnatione, Milleſimo. quadringenteſimo, octuageſimo primo, venit Maximilianus in Artheſiam bello recuperaturus oppida, quæ Gallus occupaverat. Subſedit exercitus apud Lentium, id enim nomen loco. Inde nec procul aberant Gallorum copiæ. Sed nec ullam tentavit Archidux obſidionem, nec ſe loco movit Gallus. Invenio de induciis aliquot annorum inter eos conveniſſe. Eodem ferè tempore laboratum eſt illis in locis maxima annonæ caritate, quæ multos duravit annos. Sub exitum induciarum Maximilianus Artheſiæ contra hoſtium incurſiones tuendæ præfecit comitem Romontenſem. Cujus ſolertiâ Ducis, Cameracum eodem tempore eſt occupatum. Flandriæ gubernatio tradita Petro Comiti Brianio, quanquã podagra ferè perpetuo laboranti. Vir enim erat prudentia ſingulari, qua nihil eſt magis in bello neceſſarium, quum omnia prius conſilio, quàm armis experiri oporteat Ita ordinatis rebus, Archidux ipſe cum ingenti armatorum manu, ad obſidendum Morinum eſt egreſſus, fecitque caſtra non longe ab oppido. Hic certior factus de hoſtium adventu, 1481.

Prudentiâ in re militari.

obviam

obviam proceſſit, aciem diſpoſuit, ſubſidia locavit. Sed Gallorum qui numero præſtabant, tam celeri incurſu atque impetu, noſtrorum ſigna turbavit, cædes edita, & amiſſæ machinæ, ſed paucæ. Eodem momento per occaſionem erumpens Morino præſidium Flandrorum munitiones adoritur, ubi cæſis, quos invenerant, aurea & argentea vaſa, quæ Archiduci magno conſtiterant, ſecum deportarunt. Pertraxit eo ſpes prædæ & aliam Gallorum manum, quos inſequutus Archidux ad quinq; millia traditur occidiſſe. Inde Aream ſe recepit Arthesiæ oppidum. Quæ res cum à Morini obſidione retraxerit, non reperio in commentariis. Comes Romontenſis poſtea miſſus ad oppugnandam arcem Malounoy, paucis diebus eam cepit. Præfectum arcis nobilem virum ad ſe perductum, Maximilianus laqueo necari juſſit, quinquaginta aliis, ſed ignobilibus adjunctis. Qua de re quum certior factus eſſet Gallus, ut indignam tanti viri, ſibique chariſſimi necem ulciſceretur, ex Burgundis quos a prælio ante Morinum captivos habebat, complures eodem genere ſupplicij e medio ſuſtulit. Per eadem tempora Flandris atque Hollandis plurimæ ſunt ademptæ naves, totum mare infeſtantibus Gallis. Iidem poſtea Lucenburgenſem agrum incurſantes, ferro & igne vaſtarunt. Cujus fama belli excitus Archidux, Brabantia eduxit exercitum. Acie congreſſus cum hoſte primum infeliciter pugnat, donec opem ferentibus Alemannis, poſt Gallorum agmen terga daret. Non multis poſt diebus iterum agi de induciis cœptum, quæ inventio utrinque pactus in Calendas Apriles proxime ſequentes. Erat autem Menſis Auguſtus, quum hæc agerentur. Octobri proximo agitatum de ſarcienda pace inter Gallum & Archiducem, maxime adnitente Juliano Cardinale Oſtienſi, qui deinde Pontifex, duabus extritis è nomine ſuo literis, Julium

Gallorum ſpolia & devaſtationes.

Julium vocari ſe juſſit, Julij dictatoris illius nomenclatura delectatus. Cujus & mores eum in quibusdam retuliſſe accepimus. Is inquam Oſtienſis Tornacum venerit, ut principes inter quos acre diſſidium erat, in gratiam redigeret. Verum ut nihil ſe vidit proficere, in Gallias primùm, inde Romam eſt reverſus.

INDVCIÆ INTER MAXIMILIANVM & Gallum quadam de Ioanne Burgundo, & Henrico à Bergu, Cameracenſium epiſcopu. §.1573

TEnentibus induciis neuter alterum infeſtavit, Calendæ Apriles quum jam adeſſent, prolatum eſt tempus induciarum uſque in Julij menſis initium. Hoc Aprili Mechliniæ diem obiit Joannes Burgundus Antiſtes Cameracenſis. Deus hominum ſceleribus iratus, tales dare ſolet ovium paſtores, hoc eſt libidini comeſſationibus & avaritiæ deditos, qui ſeipſos potius, quàm miſeras oves paſcunt: Huic ſuffectus eſt Henricus à Bergis vir nulli optimorum Antiſtitum, pietate aut alio virtutis genere ſecundus. Victum impatiebat egenis, ſuccurrebat laborantibus, orabat frequenter; Docebat etiam & conſolabatur ſubditos, eoſque oppreſſos ab injuſtis Judicibus relevabat. Quod enim docendi genus ſalubrius, ac Deo gratius, quàm malos Juſtitiæ diſtributores ad via reducere virtutis. Adjiciam quod & ſtudia coluit, ſtudioſos, fovit, provexit. Multorum qui ad communem utilitatem aliquid conſcriberent, portus, ſinus, præmium.

* * *

MAXI-

§.158. *MAXIMILIANI I. IN HOLLANDIAM navigatio ad extinguenda mala, quibus tum ea regio laborabat.*

In Hollādia factiones hami & aſelli.

Sicut Guelfi & Gibelli in Italia.

MAximilianus eodem menſe navigat in Hollandiam, extincturus pernitioſiſſimam illam diſſenſionem, quæ populum in dūas factiones diviſerat. Alteri ab hamo, alteri à piſce aſello inditum erat nomen. Civitati cum civitate non conveniebat, frater fratri minabatur exitium, filius patrem ſuis manibus extinctum cupiebat. Utrinque cædes, utrinque innumera ſunt edita latrocinia. Sæviit multos annos in totâ Hollandiâ hoc malum longe teterrimum.

§.159. *MISSI LEGATI AD PROROGANDAS inducias. Edictum Gandavenſium ob rei frumentariæ inopiam.*

Remedium anonæ.

APpulerat jam menſis Julius, quo tempore miſſi ſunt aliquot è proceribus, Atrebatum ubi cum Regiis legatis egerunt, ut rurſus in annum unum induciæ fierent, laborabatur fame diverſis locis. Edicto imperatum Gandavi & Brugis, ne quis frumentum pluris venderet, quàm ſtatuiſſet Senatus. Qui domi habebant plura modiorum millia, in publicum ferre ac vendere ſunt compulſi.

§.160. *MARIÆ BURGUNDÆ CASUS EQUO, obitus, Et proles.*

AGens in Flandria conjunx Maximiliani quum die quodam levandi animi gratia venatū exiſſet (venandi enim ſtudio tenebatur) ibi vel equo in præceps abeunte, vel alio caſu, certum enim non traditur, ad terram excidit. Graviter læſa, Brugas defertur.

Ad

Ad eam curandam accerſiti undique medicæ artis ſcientiſſimi viri, ſed malo artem ſuperante, haud multis poſt diebus vita deceſſit, quum annos nondum quinque cæſari nupta fuiſſet, gubernaſſet autem quinquennium, hebdomadas xj. & dies quatuor. Vulgato, Mariæ obitu, incredibilis omnes occupavit luctus, ita Defuncta fato tam nobilis, tam proba, tam inculpatæ vitæ mulier, magnum ſui deſiderium reliquit omnibus ejus ætatis hominibus. Liberos ex ea tulit Maximilianus, Philippum, de quo Principe dicemus §. 170. Deinde Margaretam, Sabaudo nuptam ſed brevi Viduam cujus nutu ac voluntate fœminæ, hæ provinciarum Reſpublicæ gubernata ſunt, Digna prorſus mulier quam inter priſcas Heroidas omnis referat poſteritas. Franciſcus ultimo loco natus infans extinguitur.

MAXIMILIANVS DVX XXIII. VXORE defunctâ liberis ſuis tutor datur. §. 161.

POſt exceſſum chariſſimæ conjugis, archidux liberis ſuis nondum puberibus, ipſe tutor dabatur patriam defenſurus armis adverſus Gallum, qui ab obitu Mariæ Flandrorum fines in greſſus, omnia cæde & incendio fœdabat. Convocati ſunt igitur Gandavum poſtridie Calendas Majas eodem anno primores omnium civitatum. Hic placuit non permittere Maximiliano gubernationem, niſi ad certum tempus, & ut ipſe juſiurandum daret ſe nihil ſtatutum niſi prudentum judicio comprobatum. Erat enim juvenis ipſe, & nimium conſiliariis tribuebat, qui aliorum incommodo, ſuis conſulerent rationibus.

* * *

§.162. ## QVOS IVSSERAT OCCIDI *innoxios.*

NON multo poſt, Lovanio, Bruxellâ, Antuerpiâ, cives aliquot, viriquè prudentes, Mechliniam miſſi, ut liberiùs inter ſe conſultarent de rebus, quas Lovanij paulò ante, conventu primorum indicto, Maximilianus propoſuerat, ut liberis ſuis qui nondum pubertatis annos attigerant, tutor daretur. Itaque Mechliniæ trium primores urbium conſultantes, Archidux quorundam vaferorum conſiliariorum qui ſibi, non patriæ commodis ſtuduebant, ſequutus conſilium, apprehendi, apprehenſos in arce Vilvordiæ loco munitiſſimo cuſtodiri juſſit. Objectum eis, quod clam Principe ſuo Mechliniæ modo, Aluſti aliàs cum Flandris colloquuti, res novas molirentur. Qui apud Ducem erant homines invidi ac avari, ita conſuluerunt, de his ſupplicium ſumere futurum rati, ut exemplo deterritæ urbes, liberorum tutelæ adminiſtrationem patri deferrent, ipſique tunc omnia pro ſuâ libidine adminiſtrarent. Princeps juvenis huic conſilio accedens, ferè omnes gladio ſubjecit. In quibus fuit Nicolaus Hectueldius, cujus viri illuſtris & optimi mortem plurimi defleverunt.

Noxia Principum Conſilia.

§. 163. ## LIBERORVM TVTELA MAXIMILIANO *defertur.*

POſt longas urbium conſultationes tandem ſuorum factus tutor Arcuidux apud Lovanium inauguratur, ſed his legibus, ut non diutius præſit, quàm id viſum fuerit civitatum primoribus expedire. Plena erat hominum rapacium aula Principis: ji mox infinitis exactionibus ditionem premebant. Miles, cui ſtipendia ſoluta non erant, omnia in agris abſumunt. Plures hoc pacto ad mendicitatem adacti.

Non

Non paucos furta & latrocinia tētare coëgit egeſtas. Quo rerum peſſimo ſtatu ob crebras ventorum tempeſtates, fulmina, tonitrus, pluvias, calores & frigora intempeſtiva, nec ſeges in agris matureſcere potuit: Credo has minas fuiſſe Numinis irati ſceleribus regentium.

LEODIENSIVM EPISCOPI LVDOVICI Borbonij indigna cædes, atque indeſequuta mala. §. 164.

PER eadem ferè tempora non vulgaris exemplum ſævitiæ Leodij eſt editum circa loci Antiſtitem. Guilielmus Arenbergus homo inſolens, ambitioſus, & ut paucis dicam, eo ingenio, ut quicunque ipſum ad crudelitatē, ad ſcelera patrandā exacuebāt, rabiem innatam quaſi ſigno dato provocarent, is inquam talis in Ludovici Burgundi Antiſtitis caput conjuraverat. Ob id exul poſtea declaratus, cum ſceleratorum manu, qui numero leguntur fuiſſe duo millia, venit in agrum Leodienſem, oppugnaturus Ludovicum Burgundicarum partium Præſulem. Contra Arenbergum educturus Antiſtes, priuſquam egredi urbem potuit, occiditur, anguſtias forte quaſdam ingreſſus; ubi adorti ſunt eū ſcelerati aliquot latrones, quos ad facinus perpetrandū ab hoſte cōductos fuiſſe, vero ſimile eſt. Poſt hæc Arenburgus Leodium hoſtiliter occupatum, totius Burgundicæ familiæ odio, graviter afflixit. Cæſi Ludovici, amicos & fautores bonis ac fortunis omnib. exutos, ejecit oppido. Quoſdam etiā occidit. Hujus rei famâ ſtatim ad Brabantos finitimā gentem ſerpſit. Qui metuentes ne Gallorum Rex, occiſo jam antiſtite, Leodienſem agrum ingreſſus, Brabantiæ quoque loca vaſtaret. Simul ut tam indignam Epiſcopi cædem vindicarent, arma ſumpſere. Primi omnium Lovanienſes, poſthabitā etiā annuâ ſupplicatione ſuâ, quæ in primos dies menſis

Epiſcopus Leodienſ. trucidatur.

Septembris incidere ſolet, egreſſi cum armata manu, inſequentibus ſtatim & aliis oppidum ſancti Trudonis adorti, in deditionem acceperunt. Captum poſtea eodem calore Hasletum, trucidato militari præſidio, quod illuc ad tuendum locum Aremburgus miſerat. Tongri quoque ſe dediderunt. Jam Brabanti ad Leodium etiam obſidendum magnis copiis excurrebant. Unde Aremburgus, videns imminere ſibi, ac ſuis periculum, ſi urbem hoſtis expugnaſſet, Brabantici Ducem exercitus ad colloquium pertraxit. Atque ita cum eo loquutus eſt, ut ſubito mutatis rebus, juſſi ſint domum redire. Apud quosdam ſcriptores invenio promiſſa Naſſavio (penes quem fuit copiarum imperium) aliquot aureorum millia, ſi domum reduxiſſet exercitus. Occiſo Epiſcopo per electionem primum, deinde Romani Pontificis accedente confirmatione, fit Leodij Præſul Joannes Hornius; Principis Hornij frater. Ut hunc excluderet Aremburgus (nam in locum cæſi Antiſtitis, filium eligi & ſurrogari ſuum volebat) Tongrorum urbem occupat, ejectis inde Brabantis. Novum hinc exarſit bellum. Gens Brabantica largo ſtipendio contractis copiis eo rediit. Cum hoſte totis viribus deſcenſum eſt in aciem, fuitque prælium ingens. Vicit tandem Brabantus, cæſaque ſunt ad tria millia hominum. Nec multo poſt Aremburgus die quodam ſancti Trudonis oppidum egreſſus, dubium, laxandi animi cauſa an ob alia negotia, capitur à Friderico, qui Joanni Hornio Antiſtiti frater erat. Inde Trajectum ad Moſam perductus, gladio ſubjicitur, universâ id vidente civitate, luitque meritas ſuæ pœnas inſaniæ: Hanc ejus mortem poſtea ut vindicarent amici, & novum Antiſtitem & Trajectinos vehementer afflixerunt; everſis eorum caſtellis, agro late vaſtato, incenſis pagis, trucidatis colonis.

Malus Princeps Aremburgus capite plectitur.

MAXI-

MAXIMILIANVS REX ROMANORVM declaratur. Idem cum patre in Brabantiam rediit.

ANno partus Deiparæ M. CCCC. lxxxv. Francfordiæ nobili emporio Germaniæ, Maximilianus Friderici imperatoris filius, rex Romanus declaratur, permittente id patre Friderico III. unde Hermolaus in oratione quâdam ad Fridericum, Hunc tamen, inquit, opinione noſtrâ, fructum anteactæ vitæ tuæ maximum cepiſti, quod filium generoſiſſimum, qui nobiliſſimas gentes, ferociſſimos populos, bellicoſiſſimas nationes non minus armis, quàm ſapientia viciſſet, regem Romanum, te vivo renunciari permiſeris. Hactenus ille. Non multo poſt Fridericus una cum filio Brabantos & Flandrenſes inviſit, à quibus exquiſitiſſimis eſt acceptus honoribus. Redeuntem in Germaniam Fridericum patrem comitatur Maximilianus. Unde poſtea cum ſatis numeroſo exercitu, ad hæc loca reverſus, movit in Picardiam aliquot ejus terræ urbeculas oppugnaturus, quæ Gallus invaſerat.

BRVGIS TVMVLTV EXORTO MAXImilianus capitur. Pontifex Innocentius anathematis fulmen authoribus facti minatur. Fridericus imperator cum exercitu venit, iratus in Gandavenſes educit Flandricus ager latè vaſtatur. §. 167.

IAM Brugis & Gandavi duarum in Flandria maximarum urbium cives detrectabant imperium Romani. Non quod hujus majeſtatem contemnerent, ſed in cauſa erant conſiliarij, multa inclementer extorquentes à bonis ac Principi ſuo impenſiſſimè deditis civibus. Præter cæteros multum erat ſuſpectus quidam Petrus cognomento Longocollius Regi *Omne malum in Aulaprovenit à malis conſiliariis.*

Romanorum à theſauris factus. Igitur his de rebus certior Maximilianus cum omni procerum ordine & conſilio Brugas venit, ut à ſe alienatos, ad imperium retraheret. Verum evenit longè aliter. Senatus Brugenſium Regij conſilij poſtulationes rejecit, rejecit & populus. Unde confeſtim novis motibus urbs exerceri cœpta eſt. Medio tumultu Rex Maximilianus, & Longocollius cum aliquot aliis apprehenſi, cuſtodiæ traduntur. In tantis malis ad Pontificem Innocentiũ hujus nominis octavũ datæ literę, quibus ſignificabatur captivum eſſe Brugis Romanum regem. Pontifex re intellectâ nihil cunctatus, ſcripſit Colonienſiũ Archiepiſco, ut Brugenſes, Gandavos, cum Iprenſibus, nam & hi populi tam audacis facinoris authoribus junxerant ſeſe, anathematis fulmine defigeret, niſi mandato obtemperantes, intra certum tempus cuſtodiâ Romanum emitterent convenerunt, itaque Brugas undique primores oppidorum de pace acturi cum Rege. Cui multa ſunt aureorum promiſſa millia à Flandrenſibus. Priuſquàm exiret cuſtodiâ Romanus, obliteratâ ſuperioris injuriæ memoriâ, cum Brugenſibus ac cæteris captivitatis authoribus ſtabilem & manſuram pacem ſanxiſſe traditur. Cæterùm præter obſides datos, etiam creati nobiles viri aliquot, qui omnia quæ Flandricæ ditionis eſſent, jure, armisque defenderent ac tuerentur, donec Philippus Romani Regis filius per ætatem admoveri gubernaculis poſſet. Rex ita dimiſſus incolumis abiit Mechliniam ad Patrem ſuum Fridericum. Qui paucis ante diebus eo ex Alemania venerat cum exercitu, factam ulturus injuriam filio. Hic Maximilianus & gratias egiſſe patri, & ſupplex oraſſe dicitur, ut omnem vim bellicam à Brugenſibus abſtineret. Sed ira accenſus Fridericus, rejectis filij precibus, hoſtiliter Flandriam vexare eſt adortus. Gandavenſes venientem velut hoſtem, non hoſpitẽm, ſuis mœnibus excluſerunt. Videbatur

Clementia Maximiliani, qui oravit pro ſubditis.

veniſſe

veniſſe Fridericus, ut urbem caperet, ſed ingenti ejus magnitudine, territus & telorum multitudine, quæ è muris in appropinquantem conjecta eſt, vim inhibuit. Ita excluſus indeque repulſus Germanus, omnem circumjectam urbi regionem hoſtiliter incurſavit. Tam ſubito in agricolas nihil meritos verſa eſt omnis illa in Gandavenſium invidiam, armorum tempeſtas.

Sæpè Princeps minoris æſtimat quæ pravidere debuiſſet.

BELLUM CIVILE IN BRABANTIA. Peſtilentia ingens Bruxellæ & Lovanij. §. 168.

REverſis poſtea in Alemaniam Friderico & Maximiliano, populus in diverſas voluntates ire cœpit. Nam erant, qui ductore Philippo Clivenſi, Brugis cum Maximiliano ſancitam pacem tam diu ratam habere, ſanctèque cuſtodire vellent quo ad ſua ſociorumq; ſalus pateretur. Contra nitebantur alij, qui ſe junxerant Alberto Saxoniæ duci. Hunc Fridericus & Maximilianus abituri Philippo Brabantiæ Principi adhuc impuberi cuſtodem, & noſtratium conſtituerant gubernatorem provinciarũ Lovaniũ, Bruxella, Thenæ, atque alia quædam oppidula cum Philippo Clivenſi, Flandrorum defenſore fœdus percuſſerant. Buſcoducenſes medij, & neutrius partis eſſe maluerunt. Cæteræ majores urbes, Antuerpia, Mechlinia, Lyra, ſequutæ Albertũ leguntur: Hoc civili & inteſtino bello, mirum quanta utrinque data & accepta mala, Bruxellenſis miles Vilvordiam adverſæ factionis oppidulum cepit, captum, incendio delevit. Saxo Lovanienſibus ademit Arſchotum. Hic privatis ædificiis, non ab hoſte, ſed alio caſu injectus ignis, adeo pervagatus eſt longe lateque, ut & loci templum ſit incendio conſumptum. Poſtea rurſus erectum, aliquantò magnificentius. Ab eodem duce Alberto ſunt & Thenæ occupatæ.

Finis belli peſtis. Huc multi mortales bona ſua, ut in locum tutiorem initio belli convexerant, quæ omnia direpta penitus à militibus, & aliis facinoroſis, qui rapiendi ſtudio, ut fit, armatis ſe immiſcuerant. Per hos motus peſtilentiæ morbus locis aliquot ſic atrociter ſæviit, ut raro aliàs hominum memoria ſit atrocius laboratum hoc malo. Bruxellæ xxxij. apud Lovanium xx. hominum millia extincta; His igitur locis vehementius ſævientem peſtilentiam, conficiundæ pacis cauſam fuiſſe exiſtimo. Lovanienſes enim & Bruxellenſes diurnis nocturniſque ſuorum funeribus exhauſti fractique, legatos ad Albertum miſerunt. Quibus Romani Regis nomine pax data eſt his legibus, ut ingentem pecuniæ ſummam Duci adnumerarent. Hæc ſub feſtum aſſumptæ virginis menſe Auguſto geſta ſunt, Anno poſt Chriſtum in terris natum milleſimo, quadringenteſimo, lxxxix. quum annum unum & plus eo duraſſet hic motus civilis.

§.169. *CONFLAGRATIO INSIGNIS MONASTERII Pramonſtratenſis, Middelburgi in Selandia.*

1492. CIrca annum M. quadringenteſimum, xcij. Middelburgi in Selandia conflagravit Præmonſtratenſis ordinis monaſterium. Quo incendio abſumpta eſt etiam bibliotheca libris omnifariam referta. Viſitur hodie domus eadem multo magnificentius inſtaurata. Diceres palatium aut Regiam eſſe quampiam.

§.170. *PHILIPPVS XXIV. DVX BRABANTIÆ inauguratur. Carolus Quintus Gandavi naſcitur.*

POſt aliquot annos, defuncto in Almania Friderico, reviſit Belgium Maximilianus, una cum

Conjuge

Conjuge ſuâ, quam recens duxerat filiam ducis Mediolanenſium. Hunc cum multis aulicæ nobilitatis primatibus, Trajecti ad Moſam ingreſſum Philippus, & Margareta florentes ætatibus liberi ſalutatum venêre, & fœlicem optimo Patri adventum gratulati, abeuntem inde Lovanium comitantur. Hic præſente Patre, Philippus annum agens ætatis ſextum decimum, Brabantiæ principatu inauguratur. In cujus verba tanto conſenſu ac ſtudio ab univerſa multitudine juratum, ut nunquam aliàs majore. Fuit hic annus humanæ redemptionis milleſimus, quadringenteſimus, nonageſimus quartus. Anno poſtea quingenteſimo, ſub exitum Februarij menſis, Gandavi oppido Flandriæ, natus eſt Duci filius: Cui ad ſanctum Joannem baptiſmo in eadem urbe admoto, Caroli nomen eſt inditum à ſuſceptoribus, cui ad omnes civitatis angulos, ad omnia compita parati ſunt ignes Joviales & plura ſpectaculorum miracula.

Carolus V. in Februario 1500. naſcitur.

HARDERVVICI CONFLAGRATIO miſerabilis, & terræmotus in Brabantia. §. 171.

IN annum Servatoris noſtri Milleſimum, quingenteſimum tertium, incidit miſerabilis conflagratio oppido Gelriæ quod Harder Wicum nominatur. Pridie Calendas Auguſti ſpatio trium horarum templa, cœnobia, & privata, publicaque ædificia, multis arduiſque tabulatis ornata omnia conflagrârunt. Hic res accidit miſeratione digna. Multi homines ruina tectorum oppreſſi, in penariis multi fumo enecti, ad quæ loca ut tutiora, metu ignis ſe receperant. Hic poſtridie pueri bimi, trimi, infantes quoque cum matribus reperti exanimes. Tam late hoc eſt evagatum incendium, ut toto oppido vix quinque aut ſex privatæ domus manſerint.

1503.

Incendia.

 Eodem

Eodem ferè tempore Gorici oppidulo Hollandiæ ſubito igni ducentæ, & pago quodam Vueſtflandriæ, domus quadringentæ arſerunt. Anno inſequenti poſt conflagrationem Harderwiciam, Daventriæ mulier quædam innixa eſt filias duas ventre uno, & corporis medio à pectore conjunctas. Cæterum capitibus duobus, brachiis quatuor, ac pedibus totidem. Eodem anno in Brabantia & locis finitimis veſperi ſub horam decimam, pridie Bartholomæi accidit motus terræ, qui nonnullis gravia intulit damna.

Monſtra.

Terra motus.

§.172.

I. PHILIPPVS AVSTRIACVS IN Hiſpaniam proficiſcitur. Ejuſdem mors.

PHilippus bis adiit Hiſpaniam, Semel itinere terreſtri per Gallias. Jam primùm hujus ditionis limen ingreſſo, Ludovicus Picardiæ præfectus, vir clariſſimus una cum proceribus ejus regionis obviam procedens, regijs verbis ſalutem impertivit, & fœlicem adventum gratulatus eſt hoſpiti optatiſſimo. Pariſij non ut hoſpes, verum ut Numen quoddam cœlo demiſſum excipitur. Nullum unquam ſuorum Regum regalius accepit Gallia, quàm Philippum hoſpitem. Magnificentiſſimi ſunt in urbe exhibiti ludi. Occurrit venienti Senatus. Occurrit ſcholæ Princeps & Rector. Occurrit totus Eccleſiaſticus ordo. Et ut omnia eſſent ubique in Philippi adventu gaudiorum plena, impunitas conceſſa eſt maleficis, in ejus gratiam aperti carceres ac in tota Gallia venia donata ſontibus. Quumque rex mandaſſet, ut Philippum nihilo ſecius quàm ſemet exciperent, pluſquam juſſi fuerant, facientes ſtudio hunc illi prætulerunt. Ipſe Rex eundem ſummâ cum veneratione excepit in regiâ ſuâ Bleſenſi. Illud memoriabile, quod Turonis abeuntem ad quingentos

Magnificentia Gallorum erga Philippum I. Auſtriacum.

fere

fere paſſus deduxiſſe, & ſumptus omnes, quos numeroſus ille ducis comitatus fecerat, in ſe recepiſſe traditur Apud Navarros quoque regali munificentia eſt exceptus Philippus. Gallia ſic peragratâ, Hiſpaniam ingreditur. Quis hic triumphos recenſeat Principi ſingulis regionibus, ſingulis urbibus, ſingulis vicis exhibitos. Rex Ferdinandus, vivida adhuc viridique ſenectâ ſocer, genero ætate florenti inter oleas viculum & Toletum urbem occurrit, ſalutatumque in Regiam ſuam Toletanam induxit. Poſt dies inde quindecim Caſtellæ regno inauguratur. Nec multo poſt Arragoniæ in urbe Cæſar auguſta ad ſextum Calendas Novembres. His peractis, uxor Joanna filium ei peperit, cui nomen indidere ſuſceptores avi materni Caroli. Obitâ igitur ad hunc modū Hiſpaniâ, peragrato iterum pari cum ſplendore Galliarū regno, Philippus in Sabaudiam venit, ubi à ſorore ſua amantiſſimâ Margaretâ, incredibili eſt magnificentia tractatus. Poſtremo in Germaniam proficiſcitur, ut quod ſorori præſtiterat, idem præſtaret & parenti. Sororem ſalutaverat, nunc & parentem ſalutaturus venit. Qui non dubium eſt, quin lætitiam animo perſenſerit longe maximam, quum Philippum unicè charum filium, tantis rerum ſucceſſibus auctum, ex Hiſpaniis reducem conſpiceret. Patre ſalutato, in patriam rediit. Ubi ad ſingularum urbium ingreſſum inſtaurati triumphi, quanquam vetuerat ipſe, & ne officio civitates gravarentur, nonnunquam data opera, ſubitus & inexpectatus advenire voluit. Lovanium ingrediebatur, urbis Senatu, ornatiſſimi gymnaſij Principe & rectore, toto item ordine Eccleſiaſtico obviam procedente. Doctiſſimus extat Panegyricus Eraſmi de hac Philippi in Hiſpaniam profectione. Altera illa profectio eſt mari ſuſcepta ineunte Januario. Vix medium jam claſſe tenebat, quum ſubito coorta eſt tempeſtas ſæviſſima. Invenio naves aliquot ſubverſas pelagi ſævitia.

Philippo

Philippo interim, & cæteris, quos eadem navis habebat, in ſingulas horas mortem expectantibus. Tandem munere divino, cum reliqua claſſe in Angliam Princeps ejectus, præter ſpem à Rege magnifico apparatu, alacritate incredibili, magno ejus inſulæ hominum concurſu & applauſu excipitur. Hic commoratus aliquot dies, poſtea ſecundo vento in Hiſpaniam contendit, ubi rurſus nulla oratione explicandis honoribus cohoneſtatus, moritur ſexto Calendas Octob. anno ætatis xxviij. Incidit obitus tanti Principis in annum Natalis Dominici, milleſimum, quingenteſimum ſextum. Poſtquam hujus viri mortem fama vulgavit, incredibilis repente Brabantiam, cæteraſque regiones ſocias mœror invaſit. Neque ulli ſanè Burgundicæ ditionis mortales fuerunt, qui non ejuſcemodi nuncium multis lachrymis exceperint. Erat enim omnium bono natus Princeps. Omnibus proſpicere, omnibus conſulere huic unum erat ſtudium. Patriæ commodum, ſuum ducebat eſſe lucrum. Libertate civium delectabatur. Nihil æque ſtudebat, quàm pacem publicam reddere perpetuam, & recte. Nam ex bello omnia reipub. mala proficiſcuntur. Mortem Philippi ſtella crinita præceſſit. Quæ menſe Auguſto per dies ferme octodecim viſa eſt.

1506. die 24. Octob. obiit Philippus I. Auſtriacus

Verus amor Principis ergaſubditos.

§.173. PHILIPPI AVSTRIACI EXPEDITIO in Gelros.

IDem Princeps antequam iterum in Hiſpaniam abiret, conſilium ſequutus procerum ſuorum ſtatuit armis repetere Gelriam, haud ignarus per eam acceſſionem hoſtium opes ubique, ſuis impares fore. Cum florentiſſima igitur equitum, peditumque manu profectus Arnemum Gelriæ oppidum ſubitâ vi adoritur, cujus incolæ ad poſtremum metu ſubacti, portas patefecerunt. Qui ingreſſus præſtitit fidem deditis,

deditis, neminem violans, nihil cuiquam adimens, neminem ſuis fortunis deſpolians. Quæ res effecit ut continuo alia pleraque oppida ad Philippum defecerint. Videbatur paucis diebus univerſam Gelriam ſubacturus, niſi in Hiſpaniam redire cupiens; pacem cum Gelro feciſſet. Ea traditur his propè conditionibus data; ut quæ in deditionem Philippus accepiſſet; ipſe ſibi haberet. Et Carolus Gelriæ Princeps unà cum Philippo in Hiſpaniam proficiſcerent. Verum hoc ad iter jam accincto, Gelrus mente mutata, excuſavit neſcio quas occupationes. Unde factum, ut quæ pollicitus fuerat, non præſtiterit. Sub hoc tempus fato ceſſit eximius Antiſtes Leodinorum Joannes Hornius, cui Galliarum Regis opera ac ſtudio ſucceſſit Erardus à Marca, poſtea Cardinalis, & Carolo Cæſari à conſiliis; vir & conſilio & facundia maximus.

Manſuetudo erga ſubditos, attrahit animos ipſorum.

GELRI CAMPANIAM VASTANT, §.174.

Thenas capiunt, iidem cæduntur apud Ardennam.

DEfuncto, ut dixi §.172. in Hiſpania Philippo, Carolus Gelriæ princeps non ſervata, quam priùs cum Philippo fecerat; Pace, Campaniæ fines cum prædabundo exercitu ingreſſus, Turnoutum pervenit ejuſdem Campaniæ inſigne oppidum. Hic offenſus miles virorum fugâ, correptas fœminas in prædam abducit. Anno proxime inſequenti, 1507. Septembri menſe, idem Carolus & Robertus à Marca, Leodinorum Epiſcopi frater in Brabantiam venere Dieſtenſium urbem oppreſſuri, à cujus mœnibus Naſſavij principis & civium virtute repulſi, alio ſigna contulerunt. Hala oppidulo incenſo; Thenæ obſeſſæ ſunt & captæ, feſto die Michaëlis. Quam urbem hoſtis ingreſſus, ita diripuit, ut nec templis quidem, nec ſacris locis temperatum ſit.

Multi

Multi præterea omnis ſexus & ætatis,ſine diſcrimine, partim trucidati, partim Ruremondam Gelriæ oppidum abducti ſunt in omne genus malorum. Quod mirum videri poteſt; ita in totam illam regionem graſſanti per dies complures, hoſti nullæ ſunt objectæ ex Brabantia copiæ. Lovanium, quod tribus inde milliariis diſtat, præſidio firmatum fuit. Quam urbem nulla extraria ope adjutam, anteà facile cepiſſet Gelrus, ſi tentaſſet. Sub finem Octobris urbem Thienenſium captam, hoſtis reliquit. Sexcenti equites Gallici nominis, aut plus eo in ſylvâ Arduennâ, inſtante nocte conſederunt, quos itinere feſſos, præda onuſtos, & ſomno vinoque ſepultos; viri Namurcenſes aliquot, priùs neci datis vigilibus, adorti partim trucidant, partim in fugam vertunt. Quingenti equi in prædam abducti Namurcum, publice ſunt divenditi.

§.175. *LEGATI AD MAXIMILIANVM MISSI; Oppidum Venlo, Margareta juſſu obſeſſum ſed fruſtrà.*

GElro nunc in Hollandos; nunc Brabantos graſſante, miſſos in Germaniam ſuperiorem legatos, invenio qui Romano Cæſari Maximiliano Brabantiæ, & aliorum regionum finitimarum adminiſtrationem deferrent. Erat enim Carolus Philippi filius puer adhuc annum agens ætatis fortaſſe octavum. Cæſar igitur quum ſtatim accurrere propter Imperij varia & ardua negotia non poſſet, filiam Margaretam præfecit, donec ipſe in hæc loca reverſus, Principatum ſuſciperet. Verum ante adventum Principis ex Almania, bello repetiti ſunt Gelri; quum ejus terræ dux, Antuerpienſium negotiatores Francfordiam ad mercatum euntes apprehendiſſet, juſſu Margaretæ principis conſcriptus atque eductus exercitus, oppidum Venlo in Gelriis obſidione cinxit.

Verum

Verum ſtrenuè agens, quæ intus erat, multitudo, irritos reddidit omnes conatus. Tenuerat aliquot hebdomadas obſidio, quum exercitus haud ſinè magnâ inertiæ ac deſidiæ notâ retro abiit. Gelrus ubi finibus ſuis exceſſiſſe hoſtem videret, ovanti ſimilis cum paratiſſimis copiis Moſam tranſgreſſus, Buſcoducenſium cives, qui & ipſi cum armata manu exierant, captivos abduxit, magna etiam pecunia mulctavit. Poſtea in Hollandos vertens omnem belli impetum, graviſſimis eam gentem incurſionibus infeſtavit.

MAXIMILIANI I. EX GERMANIA reditus. §. 176.

QUum talis eſſet rerum Belgicarum ſtatus, rediit ex Almaniâ Cæſar Maximilianus, qui Lovanij Brabantiæ gubernatione ſuſceptâ, Bruxellam convocat urbium primores. Buſciducenſes à Gelro hoſtiliter antea vexatos, maximiſque affectos incommodis, literis conſolans, opemque pollicitus, Cæſar Coloniam ad conventum Germaniæ procerum recurrit. Abſente Cæſare, latrocinantium magis quàm belligerantium more in Buſciducenſem agrum reverſi Gelrij, ad ipſas uſque portas urbis, omnia fœdè vaſtarunt, incenſis etiam ligneis illis, & verſatilibus ædificiis, quæ vulgus molendinas appellat.

ANGLORUM REX CALETUM VENIT cum exercitibus Morinum occupavit, & Tornacum. §. 177.

ANNO à virginis partu, milleſimo, quingenteſimo, decimotertio, Henricus Octavuus Angliæ Rex cum validâ bellatorum manu Caletum in Flādriæ fines trajecit, bello adorturus Galliæ populos. 1513.

Huc

Huc argento & auro, quod ingens ſecum advexerat, non modo Cæſarem Maximilianum, ſed omnem quoque Brabantiæ, Flandriæ & Hollandiæ nobilitatem ad ſe juvandum pertraxit. Lectiſſimum equitatum ac pedites complures è Gallia miſſos, qui Morinum, quod obſeſſurus hoſtis putabatur, commeatu levarent, Maximilianus primus partim trucidavit, partim in fugam compulit, ex quibus 3000. capti. Inter quos & nobiles aliquot regni Gallorū fuerunt. Signa bellica novem amiſſa. Currus onerarij centum quinquaginta abducti. Poſt hæc Romanus & Anglus magnanimi Principes duo, Morinum, quod præſidio firmaverat Galliæ rex Ludovicus, omni armorum genere oppugnare adorti, murorum partem dejecere. Atque hinc quum ingens terror civitatem invaſiſſet, facta deditio eſt hac lege, ut miles vi abſtineret. Ingreſſus Cæſar, Anglo ceſſit urbis imperium. Poſtea deditum eſt & Tornacum. Hujus oppidi cives permulti, ne militarem diutius feritatem pati cogerentur, novas ſedes in Flandria & Brabantia quæſivere. Henricus & hujus urbis à Cæſare imperio ſibi relicto, incredibili ſumptu arcem intra muros extruxit, multis incluſis ædificiis. Hic præſidium habuit perpetuum, donec poſt aliquot annos Gallo urbs reddita eſt. Quæ poſtea paruit Carolo Cæſari, adempta iterum Gallo per exercitus cæſareos.

Ambo Reges.

§.178. SCOTI IN ANGLIA *caeduntur.*

QUo tempore Morinum & Tornacum urbes in cæſaris poteſtatem venêre, Scotorum rex Jacobus, infeſtis copiis Angliæ fines invaſit, futurum ſperans, ut Rege abſente, totam inſulam paucis diebus ſubigeret. Ubi vero id nuntiatum Reginæ eſt; mulier animumque gerens, curamque virilem mirâ celeri-

Angla Regina domat necatque Scotos.

celeritate contracto exercitu, infeſtis haſtis, clypeis, armis cum hoſte concurrit, fuitque in hâc pugnâ, ſuperior ipſa, Scoti fuſi, fugatique ſunt. Multi ex his cæſi. Periit hoc in prælio Rex Jacobus adhuc ætate florens, & cum eo nobiles plurimi. Tradunt quidam veniſſe in Angliæ fines Scotum, ut in Belgio adverſus Gallos belligerantem Henricum averteret ; adque regni ſui defenſionem revocaret, hoc pacto Gallorū Regi Ludovico gratificaturus.

CAROLI QVINTI EDVcatio. §. 179.

Quia nullum tam feliciter natum eſt ingenium, quod perverſa non corrumpat educatio, & nihil referat filium genuiſſe Imperio ; niſi eundem cures educandum piis & integris nutricibus, Philippo igitur in Hiſpaniis mortuo, Cæſar Maximilianus magnâ curâ diſpicere cœpit ; quibus viris primam Caroli nepotis mellitiſſimi ætatem, Principe dignis moribus & literis inſtituendam traderet. Ex universâ patriâ delecti ſunt Guilielmus Ceverius Princeps, & Adrianus Florentius, qui tunc erat Lovanienſis ſcholæ Cancellarius ; ambo viri & ſapientes & incorrupti, qui in rectè inſtituendo adoleſcente, omnem moverunt lapidem, hanc ipſe Carolus tàm litteris, quàm omni virtutum, atque nobilium exercitiorum genere celeriter profecit, in quo Præceptores ſtrenuam navaſſe operam, nec privatum emolumentum, ſed patriæ ſpectaſſe utilitatem compertum eſt.

* * *

§.180. CAROLVS V. DVX. 25. BRABANTIÆ *Principatum ſuſcipit.*

SIc educatus, ſic inſtitutus noſter Carolus, anno ætatis quintodecimo, Lovanij quemadmodum pater, avus, & proavus fecerant, Brabantiæ principatum ſuſcepit, non unius tantum urbis, ſed & omnium provinciarum gaudio incredibili. Carolo enim conſpecto, & in adminiſtrationem imperij, jam ſolenni ritu inaugurato, non Trajanum dico vel Antonium pium, vel Epaminundam, quos ita fuiſſe bonos exiſtimo, ut tamen vitiis magnis non caruerint. Sed qualem Deus ipſe in libro Deuteronomij deſcribit, hoc eſt, optimum & ſanctiſſimum Principem ſibi omnes homines pollicebantur, ſub quo quaſi fatali ſydere afflati, ad meliorem ſe frugem converterent. Creditum eſt enim nullam Cometam, fatalem vim nullam ſic res mortalium afficere, ut vita Principis rapi ac transformari mores & animos civium.

§. 181. CAROLO V. MIDDELBVRGI APVD SELANDOS *agente, Gelrij Hollondiæ oppida quædam capta diripuerunt.*

BIennio poſt, durante adhuc bello Gelrico, Felix Comes incenſis Gelriorum navibus, arcem quandam munitiſſimam vi cepit. Unde hoſtis multum antea incommodaverat. Sub idem tempus, Carolo principe agente Middelburgi in Selandia, ut inde ſecundo vento in Hiſpaniam trajiceret, Gelrij cum equitatu validiſſimo, pedeſtribus etiam copiis Hollandiam ingreſſi, oppidum Medelblicum vi captum, diripuerunt hoſtiliter. Proceſſum eſt inde Alcmariam. Qua urbe occupata, immenſum argenti pondus

& auri,

& auri, veſtes precioſas, aliaque multa ſecum avexerunt. Hinc Sparendamum, hinc & alia quædam loca ſunt incendio abſumpta. Poſtremo ad oppidum Aſperam ductus exercitus, mœnia ter conſcendit, toties repulſus à civibus. Mille jam & quingenti in Gelriorum copiis deſiderabantur; quum occupata & vi capta urbecula viros cum uxoribus, & liberis, alios ferro ſuper alios confecit hoſtica rabies. Sunt & templa divorum ad quæ plerique confugerant humano fœdata ſanguine. Pueruli in ſcholis reperti, crudeliter necati. Quibus editis in oppidanos crudelitatis generibus, Carolus Egmondanus, cujus hæc juſſu & mandato feciſſe militem conſtat, horum poſtea flagitiorum pœnituit, nam aliena eſſe debet ab officio magnanimi crudelitas. Omninò fortis animus & magnus, parcere ſubjectis & innoxiis. In omni fortuna, recta atq; honeſta retinere ſolet. *Quis dicendus magnanimus.*

CAROLI V. IN HISPANIAM profectio. §.182.

CArolus quum egiſſet ferme tres menſes in Vualachriâ Selandiæ inſulâ, tandem flantibus ventis, navem aſcendit, ac mare ingreſſus, horrendum vidit ſpectaculum, ante ſuos oculos pereuntem navim unam incendio. In qua combuſti & homines & equi complures ſingulari forma ac magnitudine. Poſt dies inde octenos gaudio ineffabili conſpectus Hiſpanis, & ſingulis pene oppidis ſummâ cum veneratione fauſtis acclamationibus exceptus, totque pulcherrimis ac florentiſſimis regnis eſt inauguratus, populis, quoquò ſe contuliſſet, ſtudium in eum propenſum, atque egregiam voluntatem pollicentibus. 1516.

***

§.183. *CÆSARIS MAXIMILIANI OBITUS, & alia memoratu digna.*

ANNO ſalutis noſtræ M. D. XIX. menſe Januario, Cæſar Maximilianus fatalem diem obiit in Germania ſuperiore; quum eſſet ingreſſus annum ætatis lxiij. æmponti in ſtructurâ Regiâ gloriosè ſepultus. Quod ut palàm factum eſt inferiore Germania, luctus ingens atque mœſtitia per omnes fuit civitates. Quibus ob clementiam, placabilitatem, voluptatum omnium abſtinentiam, virtutesque alias fuerat longè chariſſimus hic Princeps. Cujus ut vitæ, velut ſummam partem proponam, continuos novem annos in caſtris agens, difficillima quinque bella profligavit, Gallicum, Eburonicum, Sicambricum, Venetum, Morinicum. Hic nobiliſſimæ gentes, hic ſcientiſſimi bellicæ rei populi, hic urbes opulentiſſimæ ad deditionem & pœnitentiam ab eo compulſæ ſunt. Quale vix ſocer Carolus, ac proſocer Philippus excellentiſſimi Duces unquam conſequi potuerunt. Quot hyemes cum cætero milite ſub pellibus egit? Quod ſudavit æſtates? Quis unquam eo ſolertius caſtris locum cæpit? commearus expedivit: hoſtem ludificatus eſt? Nullum huic Caſtrenſe munus ſorduit. Quoties pro ſignis ipſe ſtetit? Quoties egit ſorte excubias? Quoties vallum tulit? Quoties ſpeculatum egreſſus eſt? Neque vero poſtremum inter hujus laudes viri ponendum, quod literas & ingenia tam impenſè dilexerit, quodque bonas artes non foverit modo, ſed aluerit, atque promoverit. Juventutem nemo religioſius, innocentiùs, & ſanctiùs exegit. Nemo fuit unquam patri obſequentior filius. Auxit hujus mortui deſiderium Principis, atrocitas inſequentium temporum.

Laus & Virtutes Maximiliani I.

CARO-

CAROLUS V. ROMANORUM REX ELIGITUR. Ejusdem in Germaniam profectio. §.184.

28. *Junij.* 1519.

IN Maximiliani primi locum, Carolus V. Nepos contentioſo quidem, ſed unanimi tandem Electorum ſuffragio ad Imperium evehitur 28. Junij, 1519. Agebat is tùm in Hiſpaniis Unde per legationem Palatino ab Electoribus tunc commiſſam, anno redempti orbis 1620, in Flandriam appulit ſub Calendas Apriles, partim Bruxellæ, & Mechliniæ exactâ æſtate, cum omni curiæ ſuæ ſtrepitu, menſe octobri Lovanium, & poſt dies vicenos Aquiſgranum proficiſcitur, Ubi exquiſitis acceptus honoribus, perorante Ciceronis Germanici filio (is Albertus Princeps Brandeburgicus Cardinalis, & trium Archi-Epiſcopatum Præſul erat,) raro ſolennitatis modo Imperij donatus inſignibus, Triduo pòſt, Coloniam, exindèque Wormatiam acceſſit ad prima Comitia Imperialia, adventantibus omnibus Imperij Principibus, quorum conſenſu 8. Maij, 1521. per declaratam Imperij conſtitutionem hæreſis tunc ab Eislobiano pullulans damnata fuit : ſed mox adverſus Carolum terra marique præpotentem Principem criſtas erexit Franciſcus I. gallus, vel quia prælatum ſibi im imperio Carolum ægrè ferret, miſerat enim & ipſe non unam legationem ad Electores, vel quia illuſtrandi nominis Gallici occaſionem quæreret ſiquidem perſuaſum eſt Chriſtianiſſimis neſcitur quo genio malo, haud fieri poſſe ut alia via quàm bellis inter ſe gerendis imò veriùs exercendis latrociniis immortalitatem futilem in hoc mundo vaniter quærant, ut exemplis ſucceſſivè demonſtrabitur.

***

§. 185. DE ALIIS REBUS GESTIS CAROLI V.

POst ſuſceptum igitur Romanogermanicum Imperium Carolus nonnullos Hiſpaniæ Magnates ad rebellionẽ (Gallorũ aſtutiâ) cõcitatos adeò fœliciter per miniſtros ſuos Admiralium Henriquez & Innicum Veloſquium domuit, ut mox Barcellonâ, cæterisque Navarræ civitatib. recuperatis, Fontarabiæ dominus poſt longam obſidionem effectus, paulo poſt, nempe
An. 1524. 13. Auguſti operâ Ferdinandi Corteſij regnũ Mexicanum, cæſis cum Rege centum millibus Indianorum, cœperit. Fœdere cum Leone X. inito, Parmam ac Placentiã, Gallis expulſis, Eccleſiæ, Mediolanum Sforiiæ Majoricam verò Hiſpaniæ, ac Tornacum Flandriæ reſtituit: Velis porrò pânſis, Caleto in Hiſpaniam redux, toti ejus Tumultui finem imponens, quãtocyus novo per Gallos in Italiâ bello circumvenitur, ſed inſigni prope Paviam victoriâ, ipſo natalis Caroli die 24. Febr. 1525. potitus, captoq; Rege Franciſco primo (eodem ubi olim Carolus Magnus Deſideriũ Longobardorũ Regẽ cœperat loco) nil prorſus animi elati oſtentans, honeſtiſſimã iniit pacis ac liberationis conditionem, ſorore ipſi Franciſco nuptui traditâ 12. Januarij 1526. ſed rupto pacis fœdere, infra bimeſtre reditus ſui Rex Franciſcus, aſſociatis Papâ Clemente VII. Venetis, & Franciſco Sfortiâ, Regnum Neapolis amata aggreſſus manu mox verò vi vi repulsâ ad fugam fuit coactus: qua occaſione Cæſareus Generalis Borbonius eodẽ anno 1527. 6. Maij contra fœdifragos, Romam ſpoliavit ſua ipſius cæde, in ingloria capellula Borbonica adhuc nùm hodie nuncupata, coboneſtatam.

Initio Anni ſequentis 1528. à Legatis Gallis denuo indicitur bellũ in perſonã Caroli V. Burgis Hiſpaniæ, illicòque Menſe Aprili per Lautrechium confœderatorum Ducem Neapoli terra mariq; obſeſſa, vix quicquam effecére obſidentes, quos divino accurrente ſuccurſu irruit peſtis ac febris pedaica: quibus morbis

major

major hoſtiũ pars extincta, reliquus Vaudenontij exercitus ad internecionem per Principes de Auria conſumptus, totaq; obſeſſio in nihilum Gallicanũ redacta. Quinta Octobris dicti anni 1528. cum Carolo Egmondano ratione Geldriæ & Rutphaniæ tranſactum 20. Octobris ab Henrico Bavaro Epiſcopo Ultrajectenſi eadem dictio acquiſita.

Anno 1529. Junij menſe, Audaci S. Pauli Comiti poſt longævam iterum Paviæ obſidionem, miſer regreſſus in Galliã ab Antonio Leva victorioſè indictus, qua viſa Cæſaris Fortuna confeſtim Clemens Pontifex Barcini, Menſe Julio; Rex Galliæ Cameraci 5. Auguſti, Veneti demum ac Sfortia (cui Carolus Auguſtus Neptẽ ex Sorore Chriſtiernã matrimonio addixerat.) 23. Decembris Bononiæ pacem petentes iniêre. Iterùm natali ſuo 24. Febr. 1530. Bononiæ à dicto Clemente VII. coronam Imperialem auream totus cathafractus in Metropolitanam S. Petronij, per pontem panno rubeo obductum accedens ſuſcepit, ac 10. inſequentis Auguſti, Florentiam ſuæ ſubdidit poteſtati eam poſtea Alexandro Medicæo, unà cum filia Margaretha in matrimonium collocata attribuit, ex qua Familia poſtmodùm Reges Galliæ binas ſibi aſſociarunt ſponſas: Non minori fortunæ ac militaris ſcientiæ fato Carolus V. Franciſci Pizarri induſtria opulentiſſimam Peru inſulam anno 1531. regnis ſuis adjecit, proprioque & fratris Ferdinandi (cui dudum antea Auſtriacas ceſſerat provincias) exercitu, irruptos in Imperium Turcas potentiam 1532 trecentorum millium armatorum excedentes Vienna, Auſtria, & Hungaria fudit atque expulit. Muleaſſem regno Tunetano ejectam, junctâ ſibi Africana militia, contra vires Barbaroſſæ Turcarum Ducis, occupata Guleta & Tuneto victorioſè reſtituit, menſe Julij 1535. Tandem recruduit bellum Mediolanenſe, Defuncto enim Sfortia, Rex Gallus Franciſcus concitatis cunctis

Europæ Principibus contra Cæſarem ingentem movit exercitum, ſed fruſtra, nam brevi manu attritus ac victus leges pacis denuo ſubire cogebatur, & Carolus V. Triumphans, ſolemni pompâ, Romæ quinta Aprilis 1536. excipitur, cujus introitus celeberrimi ordo hic fuit.

§.186. *TRIVMPHALIS INTROITVS CAROLI V. in Vrbem Romanam 5. Aprilis* 1536.

A Paulo III. Pontifice, Cæſareæ Majeſtati obviam miſſi fecêre Archiepiſcopi Senenſis & Tholonus, cum duobus Cardinalibus Legatis de Trani ac Sanſeverino, qui utrumque Cæſaris latus equites ſtipabant: Commiſſarij vero pro hoſpitiis ac victu & arcubus Triumphalibus in toto Eccleſiaſtico ſtatu ordinandis erant Prælati de Gambara, de Pavia, de Todi & Gaddi: Quartâ porro Aprilis Cæſar ad Monaſterium S. Pauli ordinis Benedictinorum extra mœnia Romana ſitum appulit, ubi inſequenti Mercurij die, ſumpto priùs jentaculo, per ampliorem exinde à paucis diebus exſtructam viam, monaſterium S. Sebaſtiani ordinis Bernardini acceſſit, obviis ibi cunctis Cardinalibus Archi- & Epiſcopis, Principibus, Prælatis, Totaque nobilitate Romanâ, ſummâ reverentiâ ac pompâ incredibili Victorem Cæſarem excipientibus.

Marchio Vaſtenſis Generalis exercitus Cæſarei capitaneus duodecim in holoſerico flavo ſtipatus ephebis, cum 14. inſignioribus peditum Hiſpanorum ac Neapolitanorum cohortibus, ingreſſus fuit anteſignanus: mox ſequebatur Dux Albæ Generalis equitum Neapolitanorum cataphractus ex auro, & argentea ſuperinductus toga, cujus decem Ephebi aureâ intertexturâ ac unionum gemmarumque cumulo ſplendidiſſimis præcedebant equis, octo inſequen-

ſequentibus turmis catafractorum , cum equitatu Neapolitano nobiliſſimo , ad octo millia ; Tum Miniſtri Papales, Canonici S. Petri, Cardinalium officiales in ornatiſſimis mulis & Lecticis ; ſexaginta deinceps Ephebi Romani equites ornati veſtibus ex byſſo albo & armeſino purpureo , cum biretis ac pennis concoloribus.

Deinceps 24. Ephebi Cæſarei, quilibet holoſerico flavi albo & aureâ tela indutis equis pulcherrimis vacuè pro Cæſaris ſervitio ad manum ductis. Sequebantur ducenti Principes, Comites, Barones Alemanni, Itali, Hiſpani, cum infinito pediſſequorum pretioſe ornatorum numero, ſignanter Marchio Joannes Albertus Brandeburgicus Vicesgerens Archiepiſcopi Moguntini, Marchio Fridericus Præpoſitus Herbipolenſis, Georgius Epiſcopus Brixienſis, Dux Gravinæ, Hieronymus Princeps Urſinus, Comes Mirandulæ, Aſcanius Princeps Columna, Principes de Stigliano, & Biſignano, Duces Octavius Farneſius, Braccianus, S. Floræ, Salernitanus, Amalfi, Petrus Aloyſius Farneſius Pontificis Nepos, Marchio Aſtraga : quemlibet porrò Legatorum exterorum comitabantur bini à latere Prælati. Ex aulâ Cæſaris ornatior præ aliis incedebat Comes de Benevento auro, argentoque, ephebis & equis pretioſiſſimis circumcinctus.

Tandem Senator Romanus oblongâ indutus togâ & pileo Ducali aureo Hermelinis obducto, ac Gubernator Urbis : Tùm Scutifer, ac Mareſchallus Cæſaris, geſtans gladium Imperij nudum, denique quadraginta ſelectiores Equeſtris ordinis viri Romani omnes albis purpureisque holoſericis amicti veſtimentis per vices geſtantibus aureum Baldachinum, ſub quo Cæſar in equo pomigriſeo, holoſericâ fuſcâ Togulâ , & ejusdem coloris pileo ligamentis aureis undique ornato ; inter binos Cardinales Sanſeverinum ac Tranum intrabat.

Circumcirca Cæſarem tres cohortes peritiorum cuſtodum 100. Germani haſtati, 100. Hiſpani enſiferi & 100. Burgundi Sclopetarij, quorum veſtigia premebant 24. Cardinales 30. Archi- & Epiſcopi, ac ultra 100. Prælati, ſemper bini in ordine, cum ingenti pediſſequorum famulatu inſigniter conſpicui: dehinc iterùm trecenti levioris Equitatus Hiſpani, ac bis mille quingenti Neapolitanorum: hoc ordine per portam S. Sebaſtiani ſeu Capuanam inducti, uſque ad S. Petri magnificentiſſimum totius orbis Templum, in cujus porticu ac Theatro erecto Paulus III. pontificalibus inductus cum Miniſtris ſuis aulicis Cæſari ad ultimam ſcalam obviam factus & incredibili affectu amplexatus, ambo Baſilicam ingreſſi, Cardinalis Vicarius Capiſuccus una cum clero adſtans, Crucifixum Cæſari oſculandum porrexit; ad ſummum altare ſub baldachino è regione Pontificis, Cæſar genuflexus gratus Deo preces pro beneficiis egit, exindeque benedictione à Papa omnibus impertitâ ambo in Palatium Vaticanum ſe recepêre, ac ex ſala Regiâ Cæſar ad conclavia Medicæa deductus lautiſſimæ cœnæ ac demum quieti ſe dedit.

§. 187. *DE ARCUBUS TRIUMPHALIBUS.*

AD portam capunam opere Muſaico Heroica Caroli V. mixtis ſtatuis æneis, aliisque figuris expreſſa cernebantur, binæque artificio excellentes columnæ, quarum uni inſiſtens Icon Chriſti Domini, cum hac Epigraphe. DOMINE Tu hic eras, alteri ad ſiniſtram effigies S. Petri ſic inſcripta. REDI, HIC SEDEM MEAM CONSTITUO. in Frontiſpicio portæ Fundator Urbis Romanæ inſculptus hocce charactere. QUIRINUS PATER. à dextris. NUMA POMPILIUS REX. à ſiniſtris TULLUS HOSTILIUS REX. in porticu Portæ.

CAROLO

CAROLO V. ROM. IMP. SEMP. AUGUSTO TERTIO AFRICANO. à dextris porticus. AFRICANUS MAIOR VICTORIOSUS. ad baſin Q. FULVIUS FLACCUS CAPENA ILLATUS AFROS DEPULIT.

Scipiadis mediam Cæſar te mœnibus infers
Quemlibet à victis Tertia palma manet.

à ſiniſtris. Deo pro nobis Stante, Afri repulſi. Carolo V. Apici Fœlicitatis, Religionis Aſſertori Præſidi Securitatis, Vadi Stabilitatis, Piratarum Vindici, Turcarum Everſori, Quietis Fundatori.

Ab hac porta, quæ tota deaurata erat, per viam Alpiam ad S. Gregorium, dilatato penes Septiſolium itinere, fons excelſus aqua roſarum ac florum citri obſequitantes ſingulos ſuaviſſima odoris fragrantia adeo mirificè perfudit, ut non minus accuratiſſima fontis Architectura, quàm ſuavitas odorum tranſeuntes raperet. Prope S. Marci palatium alter inſignis Triumphi arcus patuit ita inſcriptus. CAROLO V. AUGUSTO à DEO CORONATO MAGNO & PACIFICO ROMANORUM IMPERATORI, ab uno alteroque latere erant Apellis manu depicta pugna Tunetana contra Barbaroſſam, aſſaltus Guletæ, captivitas Principum Tuneti, Victoria Africana contra Turcam, Reſtitutio Regis Tunetani, liberatio multitudinis Chriſtianorum cum glorioſa hincinde inſcriptione. Guletæ munitionibus expugnatis, claſſeque occupatâ, & hoſtibus toto ſtagno trucidatis atque ſubmerſis. alibi. Turcæ uno die tribus præliis fuſi, fugatique. dextrorsùm. Muleaſſes inſigni victoriâ reſtitutus à Cæſare. Tunetum repulſis hoſtibus egregiè defenſũ. ſiniſtrorsùm. Chriſtiani à miſerabili ſervitute liberati. Victoriam Cæſari precantur. Tuneto capto, Turcæ, Pœnique in ſervitutem redacti.

Placeæ

Plateæ omnes à ſummo deorſum, quà tranſibatur, ſumptuoſis ornatæ Tapetibus, ac picturis valoris inæſtimabilis, propè Cancellariam conſpiciebantur imagines raræ artis, Chriſtum Dominum, 4. Evangeliſtas, & 4. Patriarchas Adamum, Noë, Abrahamum, ac Moyſen ad vivum repræſentantes. Penes pontem S. Angeli Cæſarum Auſtriacorum Rudolfi I. Alberti I. Friderici III. & Maximiliani I. Statuæ celebri exſculptæ operâ.

In portâ Palatij Vaticani hæc aureis litteris inciſa;

Aſpiciens Tyberis læto te lumine Cæſar.
Inquit Scipiades cedite, cede Mari.
Ob res præclariſſimè, religioſiſſimèq; geſtas,
& Victorias terrâ, mariq; partas.

Poſt tranſitum pontis, omnia Tormenta bellica Molis Adrianæ ter exploſa, quod idem repetivêre cuncti milites Cæſareani penes Palatium præſtolantes, ab dextro latere Palatij hæc erat inſcriptio. CAROLO V. IMP. SEMP. AUGUSTO CHRISTIANÆ Reipub. PROPAGATORI, ab altero: MAHUMETORUM PAVORI, PALLORIQUE.

Eodem veſperi, ac noctibus ſubſequentibus tam in Arce S. Angeli quàm cæteris palatiis ſtupendi artificij ignes exhibiti, ac nonâ Aprilis in 14. curribus Triumphalibus (qui numerus correſpondet totidem Regionibus Urbis) per Juventutem Romanam Equeſtrem ſingulæ Cæſaris Victoriæ ſcenico repræſentatæ ſunt more, ubi tam ſonora undiquaque intervenit Muſica ut merito Cæſar exclamarit vix alibi quàm Romæ nunc Paradiſum exiſtere terreſtrem. Demùm rebus cum Pontifice de Generali concilio conſultatis, ſolemni qua ingreſſus pompâ Cæſaris diſceſſus fuit quoque adornatus. Octavâ Junij. 1536. Gröningenſes in Friſiâ ſe dediderunt Cæſari; Induciæ verò ad Decennium inter ipſum ac Galliæ Regem anno 1538. publicatæ, ſed brevi poſt ſub ſpecioſo

Legati

Legati Gallicani detenti prætextu in Lombardiâ denuò ruptæ ſunt; primo tamen induciarum anno, ad ſedandos tumultus Gandavenſium; Cæſar ex Hiſpaniâ Belgium appulit, prudentiâ ſuâ fœliciter ſingula ibidem compeſcens; decem porrò victoriis adhuc inſigniter claruit antequam Imperium reſignaret, anno nimirum 1542. contra Gallos, Danos, & Geldros (quo eodem tempore Concilium generale incepit Tridenti,) anno 1543. Barbaroſſam in Italiâ, Gallorum inſtinctu irrumpentem per Marchionem de vaſto fudit: Guilelmum cliviæ Ducem repulit Geldriâ & Zutphaniâ. Menſe Januarij. 1544. convocatâ Spiræ diætâ, cum Chriſtierno III. Dano, itidem cum Gallo, expugnato prius Luxenburgo, aliisque fortalitiis adjacentibus, pacis ſancivit fœdera: declaratus anno 1546. Geldriæ ac Zutphaniæ Dux aliâ Ratisbonæ diætâ indictâ, Joannes Fridericus Saxo & Philippus Haſſus banno ſubjecti: unio inde Proteſtantium Smalcaldica orta, & 24. Aprilis ac 20. Maij 1547. dicti banniti Principes poſt atrocem commiſſam pugnam capti, rebelleſque Bohemi ac tumultuantes Neapoli cives nec non Peruani domiti: provincias Belgij; certis ſub conditionibus Imperio inſeruit; Electoratum Saxonicum ad modernam tranſtulit lineam 25. Junij, 1550. conventus Imperij Auguſtæ præſente Cæſaris filio Philippo habitus, ubi præcariò permiſſa confeſſio Auguſtana à 10. Septembris per Joannem de Vegâ Vice Regem Siculum, Aphrodiſium in Africâ cœpit: Denuò Rex Galliæ cum proteſtantibus ſe uniens bellum Belgio indixit, raptis ſeu ſpoliatis undecim Belgarum navibus, Cæſar Parmam Gallis expulſis Romanæ reddidit Eccleſiæ; & dum anno 1552. Mauritius Saxo, conſpirante Gallo ac ſecretè conſcriptis militibus ænipontum intravit, Cæſare cum Fratre Ferdinando Villaci tunc abſente; Rex Galliarum Metas, Tullum, ac Verdunum ſub ſpecie protegendi Imperij

per

per modum Tranſeuntis una cum Damvillerio ac Momendio inſidioſe occupat, fruſtra idem tentans in aliis Alſatiæ civitatibus. Dragutus Turcarum Duxa, Gallis iterum inſtigantibus, Aureâ in mari cæſo, ſiculum ac Neapolitanum regna infeſtat.

Pace interim Paſſaviâ cum Proteſtantibus conſtitutâ, Hiſpanis ac Florentinis Senâ per gallos ejectis ac obſidione Metarum ob hyemis vehementiā anno 1553. ſoluta Cæſar Dragutū nunc tertia vice gallorum opè evocatum, Inſulæ corſianæ occupatorem per Aureæ Principem ſtravit, & in Belgio, mediante Sabaudiæ Duce Hesdinum à Gallis receptum ſolo æquavit, novo in viciniorem locum excitato fortalitio: Trino exercitu Gallus irruit Belgium, ſed fortiter à Ducibus Cæſarianis Pariſios uſque repulſi opimis ex itinere relatis ſpoliis. Marchio Marignani gallos iterum

1554. Senis expulit, & unico conflictu 3. Auguſti inito, ultra 5000. gallorum occidit, centumque vexilla Cæſari obtulit, præterea anno ſequenti Portum Herculis recuperans, Turcam quoque ab obſidione Plambini & Elbæ profligavit: in Belgio etiam Gallis bina atroci pugna ultra 13000. cæſis, Tandem pax reſumpta, & tot laborum cumulis ac corporis viribus debilitatus Cæſar Bruxellis filio Philippo II. in pleno ordinum conſeſſu, improvisò ſurgens, humerisque Guilelmi Principis orangij innitens regna ditionesq; ſuas hæreditarias ceſſit, enumeratis primò profectionibus ac periculis pro ſubditorum ſuorum conſervatione à 17. ætatis anno uſque huc exantlatis, dum novies in Germaniam ſexies in Hiſpaniam, ſepties in Italiam, quater in Galliam, decies in Belgium, bis in Angliam, toties in Africam, mari undecies remenſo, itinera ac difficultates maximas ſubiit, quorum omnium laborum, finem non alium ſibi propoſitum fuiſſe, quàm religionis & Imperij tutelam, id à ſe dum per valetudinem licebat, ita Deo Duce præſtitum, ut Carolum hactenùs vixiſſe & imperaſſe, nullos

nullos niſi hoſtes pœnitere potuerit, ac licet nunc ſibi vires ac propemodum vita deficerent, non ſibi unquam adfuiſſe dominandi amorem ante ſubditorum ſalutem, quibus etiamnum pro ſene membris capto, ac magna ſui parte præſepulto, Validum juventa, experrectique vigoris ac virtutis Principem ſubſtituere. Ei ut provinciæ præſtent obedientiam, ac inter ſe concordiam, atque in orthodoxâ Religione conſtantiam, ſibique ut ſi quid peccatum uno alterove fuerit, benignè condonent, oratos ex animo velle, ſe certè illorum fidei, obſequijve, in precibus apud Deum, memorem fore. ET CONVERSUS AD FILIUM, ſi hæc, inquit, provinciarum poſſeſſio ad te morte meâ perveniſſet, meritus fortè aliquid apud Te eſſem, relicto tam opulento, auctoque per me patrimonio: Nunc quando non neceſſitatis hæc, ſed voluntatis meæ hæreditas tibi defertur, & præmori patrem tibi relinquendo omnia, libuit: Ut mortis beneficium antevertere, quod mihi pro hac anticipati temporis uſurâ plus debes, id in horum amorem, curamq; populorum ut transferas, Jure poſtulo. Reliqui Reges ſe filiis vitâ tradere, & regna poſt mortem ſe tradituros gaudent, Ego poſthumum hoc donum præripere fato volui, geminatū gaudium arbitratus, ſi te non magis viventem ex me, quam ex me regnantem vivus aſpicerem Exemplum hoc meum pauci imitabuntur, nam & ego, quem ſequerer ex omni retrò antiquitate vix habui. Laudabunt certè conſiliū, ubi te dignum cōperient, in quo prima hæc documenta monſtrarentur: Multū efficies, ſi Dominatoris omnium timorē, ſi Catholicæ religionis patrocinium, ſi Juris LEGUMQUE tutelam, vera utique regnorum firmamenta, obſervaveris.

Imperium vero Menſe Septembri 1555. ad manus Electorum reſignans, illicò cum binis Sororibus Leonora ac Maria, navigio ex Zelandia remeavit in Hiſpaniam jisque valedicens, in Monaſterio S. Juſti, Valliſoleti Soli Deo, abſtractis omnibus curis mūdanis,

Trien-

Triennio quaſi ſolitudinarius ſanctè ſervivit; Tandem ex Doloribus podagræ accedente febri Tertianâ piè obdormivit 21. Octobris. 1558. ſepultus Granadæ ad latus Matris & avi.

CAROLVS invictum ſe vicit, fortior ipſo
Cùm ſolium ſprevit, quidquid & orbis habet.
Clarius Imperij ſeſe ſpoliaſſe coronâ
Quàm multi populos tot domuiſſe manu.

§.188. DE PHILIPPO II. VIGESIMO SEXTO *Duce Brabantiæ.*

VAlliſoleti 21. Maij. 1527. natus: Lovanij 5. Julij, 1549. inauguratus Belgij Princeps, nupſit Mariæ Anglæ. 1554. Cumque Rex Galliæ Henricus II. inſtinctu Pontificis Caraffæ, pacis fœdus à Carolo & Philippo antea initum, denuò rumperet Neapolim ingenti exercitu Duce Franciſco Guiſio irrupit, ſed è contra Rex Philippus 60000. peditum, ac 1500. equitum numero in Galliâ, deſtructo Veruino, diverſionem fecit adeo notabilem, ut Guiſius Italiam debuerit deſerere ac ferè totus penes Gravelingam gallorum exercitus deletus eſt. 25. Julij, 1558. quam ob rem pacē rurſus (quæ cambreſiana vocatur)
13. *Aprilis.* 1559. petiit Gallus, & quidquid in Sabaudiæ, Luxenburgenſium, Montis Ferrati; Senarum, Mediolani; Toſcanæ ac reliquis Italiæ dominiis occuparat, Auſtriacis reſtituit, ſicque Italiâ pacatâ, quàm primus Gallorum Dux Carolus Andianus ſub libidine dominandi Neapoli in publico Theatro per carnificem occiſis. Conradino Sueviæ, ac altero Auſtriacæ antiquæ proſapiæ Ducibus, ante 292. annos infeſtaverat, Philippus cognomen Juſti adeptus; ſinguliſ Belgij Provinciis particulares præfecit Gubernatores ibidemque Sorori Margarethæ ſupremo relicto regimine, in Hiſpaniam rediit. Poſt quinque porro annos ob fero-

ob ferociam Ducis Albani & nimias contributionum impoſitiones ac Juſtitiæ adminiſtrandæ defectum Hollandorum nonnulli ſe jugo Hiſpanico cœperunt ſubtrahere ter interim Rex Philippus contra Turcas arma movit annis nimirum 1564. occupato Penolo de Veler & 1568. ſuccurſâ Maltâ, ac denique 1571. junctis Venetorum ac Papæ viribus inſigni navali victoriâ in quâ diſſipato totaliter penes Naupactum Turcarum exercitu, magnam Chriſtianorum captivitatem priſtinæ reſtituit libertati: quem victoria diem ad 7. Octobris. 1571. incidentem deinceps Pius V. toto Dominicanorum ordine celebriter obſervari juſſit. Ingentem porro 150. Triremium apparatum, ac 30000. expertiſſimorum militum, 1600. Tormentis bellicis inſtructum in Angliam Admiralio Pereſio Guſmanno de Medina Sidonia, & ſub Duce Parmenſi totidem in Belgium transmiſerat: quorum ille Tempeſtate maritima infœlix, hic vero ſolerter defenſis Catholicis tum à Belgio, tam à Colonienſi provincia, contra Apoſtatantem Truchſeſium Archiepiſcopum, Triumphator prudentiſſimus acclamatus fuit. Sedato tandem Arragonenſi tumultu, Rex Philippus ætate gravis 72. anno piè obiit 13. Septemb. 1598. 1588.

AD PHILIPPUM II.

Juſtitiam ſerves, Magnus tibi CAROLUS inquit;
Juſtitia Ius eſt, normaque Vnque ſacra.
Juſtitia Conſtans Princeps, Iuriſque Miniſter
Philippus fœlix, hoc Viget orbe bonus.

DE ALBERTO DUCE XXVII. ET ISABELLA Auſtriacis. §. 189.

PAulo ante mortem Philippi ſecundi cum Belgio dotis loco deſponſata fuerat Alberto Archiduci

Iſabella Clara Eugenia nata 1566. eodem, quo Tumultus Hollandici cœpêre anno, Nuptiæ verò, 25. Aprilis, 1599. Valentiæ ſolemniter celebratæ: qui Albertus rebus domi foriſque præclare geſtis, ac Treugâ duodennali inter ipſum ac Batavos inſignis, bis etiam recuſato Imperio Romano, regno cœleſti devotè exceptus Anno 1621. Conjux vero Iſabella improles Turturis inſtar caſtè ac regiosè duodecim adhuc annis ſuperſtes Belgij Gubernatrix Invicta Heroina obdormivit 1633. veritatis æternæ carmina piiſſima, ad omnium Principum ſpecimen hæcce componens.

Si mihi ſint nati Regis de ſtirpe, quid inde?
Longus ſervorum mihi ſerviat ordo, quid inde?
Et rota fortunæ me tollat aſtra: quid inde?
Si fœlix, annis regna vero mille; quid inde?
Nam cito prætereunt hæc omnia, quod nihil inde.
Serviat ergo DEO omnis homo, quia ſit ſatis inde.

Ad Albertum Archi Ducem

Mira lâtet pietas, Virtus in Principe cunctè
Auſtriaco, Celebri Martius ipſe ſatu
Mirus ob ingenium primo quod flore juventæ
Indolis heroæ tot documênta dedit.

§. 190. DE PHILIPPO III. XXVIII. DVCE *Brabantiæ, &c.*

MAdriti natus 14. Aprilis. 1578. defunctis reliquis ſuis fratribus, Hiſpaniarum Indiarumque Monarcha, Utriuſque Siciliæ Neapolis ac Hieroſolymi Rex Magnus Dux Aſiæ & Africæ declaratus, Anno 1584. nupſit Margarethæ Caroli Auſtriaci de

[illegible] Graetz filiæ: Bis centum millis Saracenorum proditione detectâ, in Africam repulit, ac 20. Novembris 1610. maximum Africæ Fortalitium Larache, ad quod Piratæ ſubterfugere cum ſpoliis ſolebant, armatâ cœpit manu. Matrimonia porro reciproca. pro pace firmiori, cum Henrico IV. inter Utriusque Regis natos ac natas ſancivit. 1615. cùmque nulla eſſet ſpes prolis penes Albertum ſupranominatum: provinciæ Belgicæ homagium huic præſtitêre Philippo, ſed quinquennio poſt, maturâ præventus morte, ætatis 43. & Chriſti 1621. Regna provinciasque reliquit filio Philippo IV.

Ceu Sylvis pinus, Iuſtis decus eminet aris,
Preſſa viget ſemper, ſic revirerque Fides
Et pietas ſuperis, vita lux alma beata
Morte ſemel victâ, Neſcia ſola mori.

DE REGE PHILIPPO IV. XXIX, Duce Brabantiæ. §. 191.

Valli ſoleti cognomine Dominicus Victor natus 8. April. 1605. Veneris ſancto: nupſit vero Eliſabethæ Henrici IV. Galliarum Regis filiæ, cujus cunctæ proles ante Matrem obiêre, exceptâ Mariâ natâ 20. Septembr. 1638. modo adhuc ſuperſtite, & ex ſecundâ conjuge Mariâ Annâ Ferdinandi III. filiâ 1648. nuptâ ſuſcepit binas ſucceſſivè proles fœmellas; Hic Rex à pluribus annis ingenti hoſtium undiquaque irruentium turbine agitatus, infracto tamen animo ac intrepidus ſe ſuasque provincias defendit fortiter juxta ſpeciale Symbolum divino juvamine firmatum: cuncti cum diabolo contra Nos, & Nos cum Deo contra cunctos; manſitque adhuc Victor in decem Belgij ſui dictionibus, reliquis ſeptem

Hollandico Regimini uti Summus fœderatus & amicus amore pacis conceſſis, in quâ conficienda pace omnes alios Chriſtiani orbis Principes, ea intentione, ut unanimiter contra Turcam eatur, optimo prævivit exemplo; à datâ enim plenipotentia, res omnis infra ſesqui annum, 79 articulis compactata eſt qui cùm ſeparatim reperiantur impreſſi, ipſas tantùm auctoritatis litteras quibus aperte conſpicitur Regis benigniſſimus ac ſyncerus animus erga univerſos licet ſecus nonnulli ſed minùs Chriſtianè autument, breviter ſubnectimus. Philippus Dei gratia Caſtiliæ, Legionis, Arragoniæ, utriusque Siciliæ, Hyeroſolymorum, Portugalliæ, Navarræ, Granatæ, Toleti, Valenciæ, Galliciæ, Majoricæ, Minoricæ, Sevillæ, Sardiniæ, Cordubæ, Corregæ, Murciæ; Jaenæ, Algerbiorum, Algericæ, Godium, Canariorum inſularum, Orientalis & occidentalis Indiæ; Inſularum & Terrarum Oceani firmarum, &c. Rex, Archidux, Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Mediolani, &c. Comes Habsburgi, Flandriæ, Tirolis, & Barcilonæ, Dominus Biſcayæ, Molinæ, &c. Quandoquidem Belgij provinciarum incolarum ſubditorumque pacem & Tranquillitatem, quò tam gravi tamque diuturno bello liberarentur; tantòque commodius PAX COMMUNIS IN EUROPA, CHRISTIANI ORBIS COMMODO, OBTINERI POSSET, PROMOVERE DESIDERAMUS, Monaſterio WESTPHALORUM ad conventum ſupramemoratæ Pacis tractationem, mutuo conſenſu delecto, viſum nobis fuit Dominos quosdam delegare, qui pleniſſima auctoritate ac poteſtate muniti, ſpeciatim autem cum liberarum Fœderatæ Belgij provinciarum, Præpotentibus DD. Ordinibus Generalibus, ſive eorundem DD. Legatis ac Plenipotentiariis, ſpeciali eam in rem auctoritate inſtructis,

noſtro

noſtro nomine, locoque, præmemorato conventui intereſſent. Nos itaque ſingulari fidelitate, providâ animi circumſpectione & in rebus gerendis experientia, quas ſitas eſſe cognovimus in Dominis D. Gaſparo de Bracamontio & Guſmania, Comite Penerandæ, Nobili Cameræ noſtræ, Cameræ & Juſtitiæ noſtræ Conſiliario Extraordinario noſtro in Germania Legato; Fratre Joſepho de Bargaigne Franciſcano, Archiepiſcopo Cameracenſi, Antonio Brux Conſilij noſtri ſupremi Flandrici Conſiliario, inſuper etiam ſumma eorundem benevolentia, qua nos noſtrasque res hactenus proſecuti fuerunt, & ſingulari, quo in Pacem communem feruntur zelo, majorem in modum freti, firmiterque nobis perſuadentes eos omnes ſimul, eorumque ſingulos, aliquibus neceſſario abſentibus, MAXIMAM Cùm CHRISTIANI ORBIS, tùm noſtri commodi rationem habituros eſſe Eos omnes legatos ac Plenipotentiarios noſtros conſtituimus, ac per præſentes jis omnibus eorumque ſingulis, aliquibus neceſſario abſentibus vel impeditis, poteſtatem pleniſſimam fecimus, liberarum Fœderati Belgij provinciarum præpotentibus DD. ordinibus Generalibus, eorumve DD. Legatis ac Plenipotentiariis, qui ſpeciatim ad id delegabantur, ac ſufficiente itidem auctoritate inſtruentur, exponendi atque ex jisdem percipiendi, quæcunque ad diuturnum cruentumque in Belgij provinciis geſtum bellum, quin etiam illa, quæ adverſus Præpotentes DD. Ordines Generales in aliis longè diſſitis Regionibus ac Moribus ortum inde duxerunt, pacanda ſpectant: Inſuper etiam cum liberarum Fœderati Belgij Provinciarum præpotentibus D D. Ordinibus Generalibus agendi, proponendi, tranſigendi, ineundi, ac concludendi bonum firmum & inviolabilem quietis tractatum ſive pacis ſive induciarum; Noſtro ac

ſucceſſorum noſtrorum nomine locoque ſpondentes ac promittentes, nos ea omnia, quæ à ſupradictis DD. Legatis ac Plenipotentiariis noſtris ſive omnibus, ſive eorũ ſingulis, reliquis eorum neceſſario abſentibus aut impeditis, cum liberarum fœderati Belgij Provinciarum Præpotentibus DD. Ordinibus Generalibus, eorumve DD. Legatis àc Plenipotentiariis, ſuper præmemorato Tractatu acta, conventa, concluſaq; fuerint, rata, grata, firmaque ſemper habituros, fideliter quoad tenorem ſuum obſervaturos, eundemque tractatum intra tempus, de quo utrimq; convenietur rati habituros, ac Juramento, reliquisque ſolennibus, quæ tali caſu adhiberi cõnſueverunt confirmaturos eſſe. In cujus rei Teſtimonium præſentes haſce à Nobis ſubſcriptos, ſecreto Noſtro ſigillo munitas, atque à ſupremo regni Noſtri Secretario, cujus nomen infra exprimitur ſubſignatas, exarari curavimus. Dabantur Saragoſæ. 7. Junij. 1646. ſubſcriptum. Nos Rex. Dein de Pedro Colonna. Regis ſigillo in obelia rubra, charta obtecta, expreſſo obſignatum.

Ex hac igitur pace 30. Januarij, 1648. concluſâ, & ratificatione hincinde 18. Aprilis ſubſecutâ, (quâ pars quovis modo contraveniens ad reſarcienda damna, ſub generali utriuſque hypothecâ aſtringitur) plus emolumenti & auxilij hoc dexennio, tam Regi quàm ſubditis acceſſit, quàm ex ante acto quinquagenario bello: Pacis Auctor Deus aliorum quoque corda huc inclinet.

Sic Vovente Muſâ ad Philippum IV.

Non Tibi deſuerant Vires, non viribus Hoſtes
Sors etiam geſtis non inimica Tuis,
Sed Tibi plus cordi manſit pax optima rerum
VICTOR DOMINICVS VICIT IN ORBE PIVS.

DE LEOPOLDO I. DVCE BRAbantiæ. XXX. §.191.

SI anno platonico credendum eſt, ſane eadem heroica in recenti ætatis flore, præſtas facinora, quæ Carolus V. decimo ſeptimo juventutis ſuæ anno cœpit præſtare ante ſæculum nam Luces, Exaltas, Ornas, Perficis, Offers, Liberas Dirimis Vireſcis Sanas. Hoc LEOPOLDI nomen fœlix indicat omen. Sic Majoribus tuis ut Tibi partâ Virtutis gloriâ, regna & Belgicæ acceſſerunt provinciæ: Sic non minùs Te, quam Carolum V. verè Magnum ac inter Divos numeratum, prudentiſſimus Inventutis Tuæ Director, Comes de Portia ſanguinis ac virtutum (quarum ſcientia mater eſt) ſplendore conſpicuus in ſpem educavit maximam: Tu tu abſterges Hungarorum lachrymas contra Turcarum ſævitiam irruentem; Blues Triſtitiæ maculum Bohemis à vicinorum motibus animorum conceptam: Et ita Deo, ac fœlici Tuo inclinante Sydere, quid non olim ſibi promittet Imperium ac populus Germanicus. Divus Auguſtus vultu & aſpectu Actiacas exterruit Legiones: Compeſcet haud dubiè uti nunc, ita & impoſterum majeſtoſo ac Leomino ſuo vultu populos inquietos, cooperante ad id Numine divino PARCERE SUBJECTIS AC DEBELLARE SUPERBOS, Implebis tot Germanorum Tuorum deſideria, ne hoſtibus licet diverſum machinantibus, DEO tamen auxiliares protendente Auſtriacis manus, adverſi quidpiam Patria, bellum exoſa, ſuſtineat; ſed vel unâ LEOPOLDI noſtri voce, paterna & avita ſequentis veſtigia, commoniti adverſarij, precariam inter Victores trahant animam, ut univerſi nihil potiùs, quam obſequium Imperatori ſuo, ac à

ac à Deo prævisam destinatamque fœlicitate[m] Familiæ tam Augustæ, & Regnorum ac provinciarum ſecuritatem poſteris decernant, ſic non laurcam tantùm ſed auream, id eſt, conſtantiſſimæ devotionis & affectus Tibi dicabimus coronam,

OB CIVES TUOS SERVATOS,

nam hic boni Principis.

* * *

Finis coronat Opus.

FLOSCULORVM HISTORI-corum Liber ſecundus

continens

Ex ſacri Textus hiſtoriâ veram DEI & Creaturarum cognitionem

hoc eſt:

LEOPOLDINAM

AQVILAM PHILOSOPHICO-THEOLOGICAM, recto Tramite ſursùm volantem:

Non hæcceitates aut Chymerica Rationis, ſed entia Realia,

Quibus quicunque Latinus, infra breve Temporis Spacium evadet Ethicus, Phyſicus, Theologus, & Hiſtoricus ſacer.

Ex recenſione Joannis Auguſtini Paſtorij J. V. D. &c.

Qui præcepta docent vitæ, damnantq́ prophanos.
Mores, hos apices Mi LEOPOLDE legens
Nam ſtudiis prodeſt quid inertibus uſq́ morari
Moralis campi ducit Ad ASTRA labor.
Rerum Indicem ſequens demonſtrabit pagina.
Scientia non habet oſorem niſi ignorantem.

COLONIÆ AGRIPPINÆ
Penes ANDREAM BINGIUM.

M. DC. LVIII.

THEOLOGICA MORALIS ac Myſtica

Aquila Philoſophico : noviter ex Sacro Scripturæ Textu, directo Tramite ſurſum Volans.

DE MATERIA PRIMA. §. 2.

IN principio Deus creavit cœlum & terram ; non autem cœlum formatum aut terram formatam, ſed materiam primam, id eſt, primum Ens, ex quo omnia materialia facienda erant, clare equidem videri poterit Veritas iſta ex eo quod dicit Moyſes in ſubſequentibus, fecitque Deus Rachia, id eſt cœli maſſam, & arida apparuit, vocata terra. Fecit vero Divinus creator ſicut qui habet lanæ quantitatem, ex qua indumenta ſibi eſt paraturus deſignans varias illius lanæ adhuc infectæ portiones, quarum unam dicit eſſe pallium, illam veſtimentum, non quod revera actu pallium, vel veſtes ſint, ſed quia talia ex illis efformaturus eſt, ita cum aſſerit Moyſes CREAVIT DEUS ET TERRAM, intellexit materiam ex qua facienda erant cœlum & terra, Diviſitque aquas ab aquis.

Sed non modica difficultas fuit apud antiquos de materiâ primâ. Peripateticus ait, materiam primam non eſſe quid, neque quale, neque quantum ſed omnia in potentiâ, quaſi diceret, eſſe ens quidem reale ſed magis imaginarium, quàm exiſtens. Hinc merito hanc Ariſtotelis definitionem irrident tum

tum Divus Baſilius tum Averroes, quaſi eam non extra mentem ponat. D. Thom. affirmat eſſe tantùm puram potentiam. Platonici vocant animam Mundi: Poetæ Protheos, ex quo fingunt Protheum pro ſuo libitu, plures ſuſcepiſſe formas: Nam quia omnis Sapientia poſita eſt in abſcondito, & quod margaritæ non debent projici porcis, illam in fabulis nonnunquam abſconderunt, ut multi putantes ſe videre, non videant, & audientes non intelligant: Eſt enim ſolis humilibus datum noſſe Sapientiam Veritatis; Triſmegiſtus voluit, quod in creatione mundi umbra quædam horrenda, obliquâ revolutione ſubterlabebatur, in humidamque materiam migrabat. Umbra hæc materiæ humidæ æſtans, eam fovebat, ex humidæ autem materiæ viſceribus, Syncerus ac levis ignis protinus evolabat. Pymander tenet, quod erat Umbra infinita in abyſſo, Aqua inſuper, & Spiritus tenuis intellectualis, per divinam potentiam in Chaos inerant, floruit autem ſplendor ſanctus, qui ex humidâ materiâ elementa eduxit. S. Hieronymus in Geneſin, Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas, id eſt, voluntas Domini ferebatur ſuper materiam primam. Hæc itaque materia recipit omnes formas & ſemper eſt paſſiva. Alij vocarunt eam Magnũ Chaos nos autem aquam purã propter plures rationes, & primo juxta Moyſen Spiritus Aloyn incubabat aquas ſecundum Hebræum, unde concludit Morienus Philoſophus, ergo Aqua fuit ante cœlum & terram, & tamen non fit mentio in tota Geneſi, quando fuerit creata aqua. Alij dicunt quod productio prima ad intra Verbi æterni habet Symbolum aquæ, hinc etiam productio ad extra habere debeat aquam in materia prima. Plotinus Platonicus vult quod generatio fiat per calorem & humiditatem, ſine quibus non detur generatio, contra Pythagoricos in Gamone, qui poſt calorem ponunt generationem, absque præcedentia humiditatis,

cum

Cum igitur Aloyn, qui ſonat etiam calorem, incubabat aquas, unde extitit aqua ante cœlum & terram: ac ſi loquamur phyſicè, omne ens reducitur in primam materiam, ſed omne ens per artem ſpagyricam reducitur in aquam, ergo videtur hæc eſſe materia prima. Corroboratur iſta opinio per Tāletem, Homerum ac Virgilium, qui affirmant oceanum eſſe generatorem & patrem omnium entium. & S. Petrus Epiſc. 2. c. 3. inquit Terra de aqua, & per aquam conſiſtens, Dei verbo. quibus ſimul junctis concluditur materiam primam eſſe ens verum & aquam limpidam in quovis mixto exiſtentem.

DE PRINCIPIIS ACTIVIS CALORE & Frigore. §. 2.

CReavit Deus principia activa, ut agendo formarent materiam & quia unum non debet habere plus quàm unum contrarium idcirco principia activa non poſſunt eſſe plura, quàm duo, ut ex illis ad invicem præliantibus generabilia omnia enaſcantur, ſtatim igitur ac fuerunt creata calor & frigus, ſunt immerſa in materiam ut illam occuparent, in eâque gaudent naturaliter inter ſe perpetuo pugnantia, atque ita fit ut ea materia pars quæ à frigore fuit occupata, vocata fuerit Terra, & quia occupationis initio nondum erat perfecta, impeditâ ſcilicet potentia frigoris, à vigore caloris, ſicut neque cœlum neque aer erant perfectè formata ob frigoris potentiam, propterea ſubjungit Moyſes, Terra autem erat inanis & Vacua, quaſi non benè denſa & plena, & Spiritus Aloyn ferebatur ſuper aquas id eſt calor (ut ſymbolicè dependet à Verbo Domini) incubabat materiam primam, quæ erat aqua, & cauſa materialis unde formabatur cœlum, mare, & aer: Tenebræ vero, quæ denotant frigus, erant ſuper faciem abyſſi, quia necdum benè erat intromiſſum frigus

frigus in materia, dixit Deus fiat Lux, id eſt, calor expanſus per materiam fiat unitus in locum unum, quia unio caloris eſt Lux, & factum eſt ita, frigus vero introducens formam ſuam, & reducens illam in globum, efformavit terram, cujus facies erant tenebræ: Calor autem aliã materiæ partẽ occupans, in eaq; formam ſuam introducens & eam rarefaciens, pro vario rarefactionis modo, varia ex illâ corpora efformavit, nam ex eâ parte, quæ magis omnium rarefieri erat apta, efformavit cœlum, ex alterâ minùs rarifieri aptâ efformavit aerem, eam vero partem, quæ craſſior erat, & veluti ſudor materiæ, rarefaciẽdo in mare transformavit, quorum ſic efformatorum facies erat Lux quia ubi calor ibi Lux, ſicuti ubi frigus ibi tenebræ ut in terrâ interiori. Circa quod notandum calorem quidem eſſe lucem ſed illum unitum non expanſum qui id ulterius requirit ut interim ſit materia, quod & neceſſarium eſt pro Viſione, ad actum enim Viſionis requiruntur tria. 1. potentia viſiva ex parte videntis. 2. objectum proportionatum viſibile 3. Lux quæ demonſtrat objectum, nam transmittendo radios ex objecto per periferiæ cuſpidem in jisque idæas ſive ſpecies efformando, ita ut ſpiritus oculi cognoſcat prædictas ſpecies ſeu idæas atque hoc modo exercetur viſio.

Producunt verò lucis radij in oculis ſpecies objecti, quia ſe colorant coloribus objecti repræſentati, poſſunt enim recipere colores extraneos quia eos in ſe non habent, Eſt igitur Lux calor unitus & ubi magis unitur, ibi major lux, unitur vèro magis, ubi majus reflexio præſertim à corpore lucido non diafano, imo & devenire poteſt hæc caloris unio per reflexionem, ut nedum magnam lucem ſed etiam vehementiſſimos radios poſſit producere, ſic contingit in re percuſſione radiorum in ſpecula parambolica Saracuſani, in ipſis enim cum adeo unitè reflectantur radij, ut quaſi in puncto uniantur ſic ut

non

non ſolum magna lux, ſed tales radij enaſcantur, qui & naves integras poſſunt exurere. Vidit Deus lucem quod eſſet bona, diviſit lucem à Tenebris, & appellavit lucem diem, Tenebras noctem, & factum eſt Veſpere & Mane dies unus.

DE TEMPORE. §. 3.

SUcceſſio diei & noctis, frigoris & caloris, ex quibus pendent unitas & multitudo, motus & quies, appellatur tempus, quod nobis innoteſcit per motum cœli, & ſic ſcimus menſuram rerum per partem in univerſis mundi partibus magis cognitam; Hoc tempus eſt duratio ſucceſſiva motus ex mēſurâ ejus; Æternitas vero non eſt tempus ſed duratio permanēs ſine termino à parte ante, & poſtea.

DE PERFECTIONE COELI, TERRÆ, ac Maris. §. 4.

DIxit Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquâs ab aquis, & fecit firmamentum, diviſitque aquas quæ erant ſub firmamento ab his qui erant ſuper firmamentum, & factum eſt ita, vocavitque Deus firmamentum Cœlum: dixit porro Deus, congregentur aquæ, quæ ſub Cælo ſunt in locum unum, & appareat arida, & factum eſt ita, & appellavit congregationes aquarum, Mare, & Aridam terram.

Diximus in principio libelli circa finem §. 1. Materiam primam eſſe aqua, ex quâ omnia entia materialia ſunt facta, Unde colligendum, quod cum Deus, ut mox ex Moyſe retulimus, fecit firmamentum in medio aquarum & diviſerit aquas ab aquis, inferendum ſit, cœlum non eſſe actu corruptibile, ſed tantùm potentia uti quid compoſitum eſt nam quod corrumpitur, à ſuo potentiori cōtrario corrumpitur,

cœlum

cœlum vero non habet contrarium ſe potentius, habet quidem terram contrariam ſed ea & inferior & multò eſt potentiæ, & ſatis à cœlo remota ut fieri non poſſit quod cœlum à terra corrumpatur, quod autem in fine mundi, cœli peribunt, hoc præter naturam accidet, quia tunc decuplo magis perficientur, ad reddendum beatis majorem gloriam ad quod addi poteſt, quod cœlum eſt materia rara informata à ſuâ formatâ intrinſecâ caloris, qui in ipſâ veluti principatum obtinet; unde fit, ut à ſacrâ ſcripturâ cœlum vocetur firmamentum i d eſt firmum abque corruptione, ſine mutatione ullâ; & ſicut cœlum incorruptibile eſt, ita & exiſtimandum eſt aquas, quæ ſupra ipſum ſunt, incorruptibiles eſſe; actu verò, quid ea ſint, obſcurum videtur; & de jis fortaſſe locutus eſt Paulus, qui raptus uſque ad tertium Cœlum, dixit; Vidi arcana Dei, quæ non licet homini loqui, & alibi, neque in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Dominus diligentibus ſe, & videtur quidem Deus poſuiſſe cœlum ad celandum, ac firmamentum ſub iſtis aquis, ut ſit tanquam velum ad illos occultandos, ſive propugnaculum ad illas defendendas, contra beſtias & terræ humores, & hæc dicta pro nunc ſufficiant de ſupernis iſtis aquis, aliquando prolixius in calce hujus tractatus, de jisdem locuturus, ſimiliter, & ſermonem de aquis, quæ ſub cœlo ſunt, quarum congregationes Maria appellata ſunt, in locum ſuum transferamus, & appareat arida, id eſt terra; clarè autem apparet, terram habere frigus in ſinu ſuo, quod eſt forma ſubſtantialis illius; Tribuit verò frigus terræ præcipuè denſitatem, in quâ frigus gaudet, tanquam in ſuo ſolio Princeps, & ab hoc terræ denſitate ejusdem pendet immobilitas, per quam in ſuo eſſe conſervatur. Subjectum & organum virtutis formativæ eſt Spiritus Vitalis inclusus in ſemine: Unde ad continendum hujusmodi Spiritum, ſemen eſt ſpumoſum, & hæc cauſa albedinis

Frigus in Terrâ.

albedinis ejus; huic autem Spiritui conjungitur virtus formativa, magis per modum motoris, quàm per modum formæ, etſi forma ejus aliquo modo ſit. Unde dicit commentator in Metamorph. quod includitur in ſemine virtus illa quodammodo, ſicut uniuntur motores orbibus: illi autem corporali Spiritui conjungitur triplex calor, ſcilicet. 1. calor elementaris, qui eſt ſic Inſtrumentum reſolvens & conſumens, ſeu operans: 2. calor animæ, qui eſt vivificans. 3. Calor cœli, cujus virtute movetur ad Speciem ſeu individuum determinatum, ex vigore hujus triplicis caloris, virtus formativa convertit materiam à muliere præparatam in ſubſtantiam membrorum. S. Thomas. 2. Sentent. diſt. 18. q. 2. a. 3. in corp. Ergo non implicat plures calores in eodem corpore, nec implicat aliquem calorem uniri ſubjecto, ut motorem mobili, ſicut nec implicat virtutem aliquam formativam, quæ per calorem agit, eſtque principium generationis ſubjecto uniri ut motorem mobili. *Semē quaſi ſpumoſum.*

DE GENERATIONE PLANTARUM & Animalium. §. 5.

OMne Ens recipiens primam qualitatem facit, ut ea in ſuam tranſeat naturam, ſic immobitas terræ eſt natura terræ; Mobilitas cœli eſt natura cœli, & ex admirabili divinâ providentiâ, quidquid in mundo ſuccedit, fit, ut abſque violentiâ fiat, & omnia quaſi ex neceſſitate pendeant, & propter melius fiant, id eſt ad Entium tùm generationem, tùm conſervationem; ſic ex bello caloris, & frigoris, tranſmutata materia, nunc terræ, nunc maris, nunc aeris naſcuntur herbæ & animalia. Dixit Deus: *Producat terra herbam viventem, & facientem Semen, & lignum pomificum juxta genus ſuum faciens fructū;* & ſic ex Terrâ, & actione caloris, & ex miſtione

 humoris

humoris aquarum,& repugnantiâ frigoris generantur Plantæ,& animalia ex corruptione. In quo notandū, frigus non ingredi opus naturæ generantis; ſed per accidens generationē perfectionare,reſiſtendo ſcilicet calori,qui ſi liberè & absq; repugnantiâ ageret,totam materiam in Cœlum transverteret,propter ſuam maximam activitatē;Eſt vero intrinſeca forma plantarum *Quid ſit Vita & Mors* & animaliū,eorum quæ omnium,quæ vegetant, ſemper calor, in quo vita conſiſtit, ſicut infrigore mors: neque enim eſt aliud mors compoſiti, quàm exhalatio caloris,& frigoris adventus. Imo ubi calor magis exiſtit depuratus,ibi fit ut perfectior ſit vita,Vivensq; magis ſentiat & vegetet nam ſi omne ens appetit propriam conſervationem, & appetitus pendet ex cognitione boni ſive veri ſive apparentis, fit, ut quò perfectius eſt animal vivens,eò perfectiorem habeat ſenſationē. Hinc P. Kircherus in libro artis Magnæ Lucis & Umbræ rectè infert, quod cibi ſubtilioris ſucci, generant ſpiritus vitales ſubtiliores, & ad ingenium, ſenſusque internos aptiores: prout enim magis vel minus depuratus eſt calor, qui materiam informat, majorem vel minorem tribuit ſenſationem ac vegetationem: Eſt autem forma intrinſeca in rebus ipſa ſubſtantia rerum quæ dat illis eſſe & eſt modus in illis, ex hac enim formâ intrinſecâ emanant propria & inſeparabilia accidentia, cùm duplex ſit genus accidentium, alterum magis proprium ac inſeparabile ut riſibilitas in homine, & quantitas per quam quantitatē menſurātur partes ſubſtantiæ,ac ponitur pars heterogenea extra partē, ſitq; ut reddatur ſubſtantia quanta eſt enim quantitas terminus extrinſecus ſubſtantiæ, ceu ſuperficies & menſura ejus: Separabilia verò & magis extrinſeca accidentia ab extrinſeco adventitio pendent,tanquam ex Actione Agentis extranei,unde fit ut hæc ſeparari à ſubjecto poſſint, & abeſſe ſeu adeſſe ſine ſubjecti corruptione,hujusmodi eſt doctrina, virtus, & aliæ qualitates extrinſecæ, nec non calor

adve-

adventitius à Sole vel fornace, in hominem immiſſus, qui invertendo ſuperficiem materiæ ſeu corporis in tali vel tali gradu, mutat ſaporem, odorem, aliasque extrinſecas qualitates in ſubjecto. Clarum inde fit, plantas & Viventia perfici ex introductione in materiã formæ ſubſtantialis intrinſecę quæ conſiſtit in innato calore, frigore tamen ipſius activitatem obtundente, impedienteq; ne adeo libere agat, ut in cœlum omnẽ convertat materiam. Terra igitur ex ſui naturâ eſt arida, ac frigida, ſed permixtione aliorum elementorum fit virens ac fertilis.

DE SOLE AC MINERALIBVS. 9. 6.

TErtio die ſubjunxit Deus: Fiant Luminaria in Firmamento cœli & ſint in ſigna, Tempora, dies, & annos, ut lucerent ſuper Terram & præeſſent diei ac nocti, & dividerent lucem à Tenebris. Luminare majus ſeu Sol eſt fons luminis, ac unio caloris depuratiſſimi in rarâ cœli materia, in quâ gaudet ac per cœlum ambulat, velut Rex ſtellarum, motu circulari perfectè regulato à modificante intelligentiâ extrinſeca ſeu Angelo, propter generationes cunctarum rerum, ſic ordinante omnium Authore, Sol enim & homo generant hominem.

Mathematici fere omnes conveniunt, Solem centies ac ſexagies majorem eſſe Terrâ, ita ut 160. globos Terræ, veluti continens ſuum contentum complectretur, quanta autem ſit circumferentia corporis ſolaris, pone 3600000 & adjunge magnitudinem globi Terreſtris, qui ſub æquatore maximus eſt [illegible] 22500. milliarium germanicorum, jam multiplicia 22500. per 160. *Corn. à lapide in Eccleſ. c. 43. v. 2.*

22500
160
1350000
22500
3600000.

Ergo circumferentia Solis complectitur tres milliones ſexcenta millia milliaria. Unde ſi eques ſingulis diebus centum milliaria, ſolem circumgyrando equitaret, intra annos 98. ſeptimanas 32. ac dies 6. rediret ad idem punctum Solis à quo incepit equitare: quæ creatura vel minima nota eſt magnificentiæ divinæ. Ambitus vero cœli convexi, in quo Sol regyrat, continet 27. milliones trecenta ſexaginta millia milliarium, & hunc ambitum Sol in 24 horis quotidie percurrit ab oriente, per meridiem, in occidentem, ſicque quâlibet horâ perambulat unum millionem, centum & quadraginta millia milliarium.

Sed motum ſuum naturalem Zodiaci perficit unius anni circulo, nempè ſex menſes ad Tropicum cancri, & ſex alios ad Tropicum Capricorni declinando, ex quo obliquo curſu menſes, dies, & noctes variat reddendo tempus menſurabile per motum ſuum, nam ubi per æquinoctialem lineam movetur, in arietis ſigno, quod domus eſt Martis, Ver conſtituit: Ubi ad Tropicum cancri aſcendit, æſtatem cauſat, Iterum poſtea ad æquinoctialem reverſus in ſigno libræ domo Veneris, autumnum progignit, cùmque tandem Capricorni accedit Tropicum, Hyemen inducit nam cum Sol ad Tropicum accedit cancri, vicinior Nobis eſt, rectioresque radios transmittit, ac per conſequens intenſiorem cauſat calorem æſtate ingruente; è contra vero ad capricorni Tropicum revertendo remotiùs a Nobis diſcedit, & obliquiores transmittens radios fit, ut minus calefiamus, frigore hyemis obſiſtente. Zodiaci autem ſigna, quæ quolibet mutat menſe, in hæc inferiora, diverſas pro qualitate ſigni dirigens influentias, hæc

Sunt

♈ ♉ ♊ ♋ ♌ ♍
ſunt *Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo*
♎ ♏ ♐ ♑
Libraque, Scorpius, Arcitenens, Caper,
♒ ♓
Amphora, Piſces.

Tria ſunt orientalia, ignea, cholerica ut aries, Leo ſagittarius. Tria meridionalia Terrea & Melancholica ut Taurus, virgo capricornus. Tria occidentalia, acria ac ſanguinea Libra gemini aquarius. Tria Septentrionalia, Phlegmatica Piſces Cancer Scorpius.

☉ ☽ ☿
Sol regit cor in homine, Luna cerebrum, Mercurius
♀ ♂ ♃
pulmones, Venus, Semen, Mars Hepar, Iupiter ſanguinē,
♄
Saturnus Lienem & capillos.

Sequentia ſigna cauſant morbos in ſextâ domo, & mortem ſi ſunt in octavâ domo tempore nativitatis. ♎ diſſenteriam, dolorem ventris, ſpinæ dorſi, conſtipationes. ♐. febres acutas, calculum renum. ♋. Tuſſim, phtyſim. ♌. pleuriſin, ſyncopen. ♍. Tumorem ventris, colicam lienteriam. ♓. paralyſin, lepram podagram. ♈. dolorem capitis dentium, oculorum, nec non gladij ſeu veneni violentiam. ♉. ſquinantiam, apoſtema gutturis, ſeu anginam. ♊. Chyragram artrytidem, ♏. calculum veſicæ, hemorroides. ♑. ſciaticam. ♒, hydropoſin, febrim quartanam.

Sole vel Luna Taurum peregrante, languet omnis medicina & plures aliæ admirabiles ſunt Solis operationes, nam ipſe eſt qui lumen ſuum Lunæ ac ſtellis communicat earum ſcilicet lumina vivificans, & ſuo

 calore

Ergo circumferentia Solis complectitur tres milliones ſexcenta millia milliaria. Unde ſi eques ſingulis diebus centum milliaria, ſolem circumgyrando equitaret, intra annos 98. ſeptimanas 32. ac dies 6. rediret ad idem punctum Solis à quo incepit equitare: quæ creatura vel minima nota eſt magnificentiæ divinæ Ambitus vero cœli convexi, in quo Sol regyrat, continet 27. milliones trecenta ſexaginta millia milliarium, & hunc ambitum Sol in 24 horis quotidie percurrit ab oriente, per meridiem, in occidentem, ſicque quâlibet horâ perambulat unum millionem, centum & quadraginta millia milliarium.

Sed motum ſuum naturalem Zodiaci perficit unius anni circulo, nempè ſex menſes ad Tropicum cancri, & ſex alios ad Tropicum Capricorni declinando, ex quo obliquo curſu menſes, dies, & noctes variat reddendo tempus menſurabile per motum ſuum, nam ubi per æquinoctialem lineam movetur, in arietis ſigno, quod domus eſt Martis, Ver conſtituit: Ubi ad Tropicum cancri aſcendit, æſtatem cauſat, Iterum poſtea ad æquinoctialem reverſus in ſigno libræ domo Veneris, autumnum progignit, cùmque tandem Capricorni accedit Tropicum, Hyemen inducit nam cum Sol ad Tropicum accedit cancri, vicinior Nobis eſt, rectioresque radios transmittit, ac per conſequens intenſiorem cauſat calorem æſtate ingruente; è contra vero ad capricorni Tropicum revertendo remotiùs à Nobis diſcedit, & obliquiores transmittens radios fit, ut minus calefiamus, frigore hyemis obſiſtente: Zodiaci autem ſigna, quæ quolibet mutat menſe, in hæc inferiora, diverſas pro qualitate ſigni dirigens influentias, hæc

Sunt

♈ ♉ ♊ ♋ ♌ ♍
Sunt *Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo*
♎ ♏ ♐ ♑
Libraque, Scorpius, Arcitenens, Caper,
♒ ♓
Amphora, Piſces.

Tria ſunt orientalia, ignea, cholerica ut aries, Leo ſagittarius. Tria meridionalia Terrea & Melancholica ut Taurus, virgo capricornus. Tria occidentalia, acria ac ſanguinea Libra gemini aquarius. Tria Septentrionalia, Phlegmatica Piſces Cancer Scorpius.

☉ ☽ ☿
Sol regit cor in homine, Luna cerebrum, Mercurius
♀ ♂ ♃
pulmones, Venus, Semen, Mars Hepar, Iupiter ſanguinẽ,
♄
Saturnus Lienem & capillos.

Sequentia ſigna cauſant morbos in ſextâ domo, & mortem ſi ſunt in octavâ domo tempore nativitatis. ♎ diſſenteriam, dolorem ventris, ſpinæ dorſi, conſtipationes. ♐. febres acutas, calculum renum. ♋ Tuſſim, phtyſim. ♌. pleuriſin, ſyncopen. ♍. Tumorem ventris, colicam lienteriam. ♓. paralyſin, lepram podagram. ♈. dolorem capitis dentium, oculorum, nec non gladij ſeu veneni violentiam. ♉. ſquinantiam, apoſtema gutturis, ſeu anginam. ♊. Chyragram artrytidem, ♏. calculum veſicæ, hemorroides. ♑. ſciaticam. ♒. hydropoſin, febrim quartanam.

Sole vel Luna Taurum peregrante, languet omnis medicina & plures aliæ admirabiles ſunt Solis operationes, nam ipſe eſt qui lumen ſuum Lunæ ac ſtellis communicat earum ſcilicet lumina vivificans, & ſuo

calore metalla cæteraque mineralia gignit ac perficit & quemadmodum Sol divinus intrinſecè, inviſibili virtute ſuâ, creando & conſervando, omnes creaturas vivificat, ita & hic Sol virtute ſua inviſibili in omnibus rebus eſt calor nativus, omnium rerum balſamum, lychnus & oleum, ille Spiritus vitæ in omnibus creaturis abditus, hic ſulphur naturæ, ſuo genuino nomine in omnibus rebus exiſtens appellatur; Inferiora ergo monſtrant ſuperna; corporalia, intellectualia, per inferiorum & terreſtrium naturas ac proprietates veluti umbras aſcendimus in naturas ac proprietates cœleſtium. Verba autem Philoſophi Sol & homo gerant hominem ſic interpretanda ſunt quod Sol in nos calorem transmittendo, generationis eſt cauſa ubi enim calor, ibi materia generationis nec ſolam hominis procreationem adjuvat, ſed cunctarum rerum quæ ſub Luna ſunt ipſe eſt author nam transfundens radios ſuos in Terræ faciem, illam invertendo, frigusque debellando, varia rerum producit genera, pro variâ ipſius Terræ aptitudine quia ſi calor Solis agat in Terram totaliter debellato frigore generat ſulphur, quod de facili accenditur tanquam materia apta ad lumen, habens intrinſecum calorem depuratum, ſicque denſata materia in ambitu Terræ propter activitatem frigoris contra nitentem, ex vi radiorum ſolis generatur aurum in quo, quia forma intrinſeca demonſtrat faciem veram ſtante depuratione ſuâ videtur rubrum aut citrinum ſimile igni, & licet nonnulli philoſophi æſtiment Solem generare aurum, Lunam argentum, Saturnum plumbum, Jovem ſtannum Venerem cuprum, Mercurium argentum vivum vulgare, & martem ferrum, non tamen eſt putandum prædicta aſtra, illa eadem metalla ſive mineralia ex ſe Solis poſſe gignere, ſed in omnibus adjuvante communiori, principaliorique causâ, virtute ſcilicet Solis: Nam quando calor ſolis agit libere abſque eo quod habeat alterius

planetæ

Planetæ adjutorium, generat purum aurum, quod etiam Sol nuncupatur, quando vero idem ſalis calor non libere ſed in determinato gradu caloris Saturno conſentientis, tunc generat plumbum, & quando in gradu caloris Martis generat ferrum, & ſic de aliis.

Quod ſi Solis calor in materiam agat magis frigidã & non totaliter debellatam, generat mineralia quæ cum ſemper in ſe habeant frigus, ideo venenoſa ſunt, & igni appoſita reſolvuntur in fumum, tanquam fugientia a contrario calore ignis. Argentum vivum reperitur in omni ente, conſtat enim ex tenuiori parte, quæ calorem habet, propterea vitam habet in ſe circa calorem.

Sciendum eſt quod cum is calor unitus eſt in materiâ clarâ, præſertim cœleſti tunc dicitur lumen, & ſi in materiâ ſolari eſt ipſe Sol, ſi in aqua & aere dicitur calor blandus, & unumquodque horum dicitur calidum eſſe magis ac minus. Calor vero in igne elementari, eſt ipſamet forma ſubſtantialis ignis, quæ igneitas à nonnullis dici ſolet, ſed potius dicendus calor materiatus, ita ut quæ prius caliditas in ligno exiſtebat reddens lignum calidum, aucta poſtmodum in tantum, ut in ignem lignum vertatur, illa eadem ex caliditate & ex accidenti evadat igneitas & forma ſubſtantialis.

Neque omnino credendum eſt axiomati illi quod circumvertitur, nempè quod uni eſt ſubſtantia, non poteſt alteri eſſe accidens nam aperte apparet quod ego qui ſum ſubſtantia, amplexando Ludovicum, ſum accidens Ludovico, & ſic de reliquis.

Ulterius circa præfatum calorem nota, nullam Nos urgere neceſſitatem credendi, quaſi poſt tres regiones aeris, ſit ſphæra ignis in qua illius elementum exiſtat unquam in proprio loco reſidens, niſi id velimus admittere in ſatisfactionem Peripateticæ imaginationis: ſed ad penitum redeuntes jam ſatis conſtat unum & eundẽ Solis calorem eſſe, qui omnium rerũ,

quæ ſub lunâ ſunt, eſt opifex, non vero unum eundemque ſemper generari effectum pro variâ materiæ in quam agit, aptitudine ſine diſpoſitione.

Chymici principia rerum tria ponunt ſcilicet argentum vivum, ſulphur, & ſal: errârunt autem in denominando ea principia quia principium eſt ex quo aliquid eſt, cùm debuiſſent ea vocare prima elementa, nam ſi elementum eſt ex quo aliquid componitur, ita ut id non ex aliis componatur partibus, jam unicuique conſtabit illa tria eſſe elementa, cùm ex illis componantur omnia mixta, in eaque reſolvantur, & revera hæc tria clarè appareant in omni reſolutione mixti: nam in lapidibus, herbis, ac metallis liquidò manifeſtantur, hæc enim per artem ſpagyricum clare reſolvuntur in tria dicta elementa in ſuâ propriâ formâ: At in reliquis mixtis præſertim animantibus adſunt quidem hæc tria, ſed non in propria formâ, nam quæ pars in metallicis ſulphurea eſt magis materiata, & denſior ideòque accendibilis: in animantibus eſt flavæ bilis, quæ igni aſſimilatur. Illa vero pars, quæ magis eſt aquea & aerea, ac propterea liquabilior, in metallicis, eſt argentum vivum, in animalibus eſt ſanguis: alia vero pars, quæ terreſtrior & à calore agente actuata, in ſe ſalſedinem includens, in metallicis & lapidibus ſal eſt, in animalibus melancolia ſeu atra bilis. Igitur hæc tria ex quibus compoſita omnia conſtare dicunt Chymici, potius elementa ſunt quàm principia. Alia tamen omnium creaturarum ſublunarium principia tria quoque aſſignari poſſunt, ſcilicet calor, frigus, & materia, circa elementa autem, duo, cœlum ſcilicet & Terra, illud ut calidum eſt per ſubſtantiam ſuam. Terra verò frigida per formam ſuam, porrò ſiccitas & humiditas ſunt effectus agendis, humiditas caloris, & ſiccitas frigoris, quia frigoris eſt denſare, & calidi aperire.

DE

DE FORMA ESSENTIALI ET ACCIdentali. § 7.

DUplex eſt forma intrinſeca, quæ dat eſſe rei, & extrinſeca quantitativa mathematica, quam dicimus eſſe terminum extrinſecum, cùm autem nominamus ſubſtantiam, intelligimus formam rei intrinſecam: calor vero in plantis & lapidibus exiſtens, quantò magis materia eorum eſt denſa, eò citius per concitationem ac motum ſeu frictionem fit, ut ignis evidentius excutiatur: per violentum enim motum pori aperiuntur prædictorum corporum, & qui ignis intus incluſus erat, extra repente profilit, ut quotidiana experientia docet in lauro, marcheſita, & ſimilibus lapidibus. Vis hæc unicuique tributa eſt à prædicto Solis calore omnium opifice generandi ſibi ſimile, in Mineralibus vero & metallis aliud accidit, quia hæc igni appoſita vertuntur in fumum & corruptibilia ſunt.

Dari autem verum ac perfectum aurum Chymicum multi affirmant, ſi rectè ac philoſophicè applicentur activa naturalia paſſivis & ingrediẽtia debita, ut Morienus philoſophus ſapienter dixit Calid Regi Ægyptio, in fine ſpiritus intus eſt quem ſumito, in fine ſpiritus intus eſt quem ſumito, & corporis fiat ſectio ſejunctis arte fecibus ac terra demiſſis, ſplendorem benignam ſæpius aſpicies, & ſic Tibi Elixit erit calor, qui eſt in Mercurio depurato, & ex Sole extractio agit in Magnetium, ac unitur totum trinum compoſitum ex prædictis 3. elementis, eſtque unum & trinum reſpectu principii ac finis: quamvis etiam videatur fieri ex plumbo ſtannum & ex ſtanno argentum non tamen eſt vera transmutatio ſed mixtio metallorum ab Agente enim extraneo non intromittitur forma ſubſtantialis & intrinſeca per ignis appoſitionem, ſed tantum ignis agens in illa liquefaciendo eorum ſulfur & disgregando heterogenea,

congregandoque homogenea potiùs apparentem formam extrinſecam in illis, quam veram & propriam cauſat. Ut autem fiat veræ transmutatio opus eſt Agente phyſico qui agendo ponat veram formam, transmutans paſſum in ſuam veram naturam, quod tantum datum eſt lapidi phyſico, qui vocatur Sol philoſophicus, & in Sacro Textu. In fabricatione auri, ſignum eſt Smaragdi, Eccleſiaſt cap.32. Protheus non ſic concernit lunare, ſed laqueatum per Ariſtæum ut Ciremis vult, nempe in herba molis ac Solis, nimirum lunaticâ ſeu bouſſa, ſcilicet Saturno de caulibus & ſic moritur Draco: Inſulæ fœliciſſimæ filius oceani in propriâ denſatione. Hic eſt, qui tanquam ignis & quaſi incorporeus agit naturaliter, metallum illud in ſui naturam vertendo, & dicitur lapis benedictus, aurum alioqui, quomodo aurum efficeret? qui poteſt capere capiat.

Lapis philoſophorum.

§. 8. DE GRANDINE ET ALIIS *meteoris*,

PRoſequendo alias operationes hujus ſolaris caloris, quem poſuimus omnium rerum ſubjectarum authorem ac opificem, accidit, quod calor iſte vehementior ut in æſtate trahat ad ſe vapores, qui elevantur non virtute propria, ſed caloris ſolaris, nam cùm puri non ſint, ſed admixtas habeant plures craſſas, non poſſunt ex ſe Solis, in altum elevari, ſed neceſſe eſt ut Virtus Solis illos trahat ſurſum. Hi vapores ſic in aerem ſublimiorem elevati, à calore in ipſis ulteriùs agente ſeparantur in partes leves & ſublimes, â craſſis, exindeque pars ſublimis à craſsâ ſeparata magis ſurſùm aſcendit & ibi illuminatur, pars vero craſſa, quia gravior remanet & naturâ ſuâ eſt frigida, circumdata ab aere calido, quam caliditatem fugiens veluti ſibi inimicam

Quomodo generetur Grando.

in globos ſe reſtringit, & quia ob ſeparationem partium ſubtilium ac levium, gravior est effecta, rurſus in terram cadit atque ita contingit grandines fieri in tempore vehementiſſimi caloris.

Nix vero in frigidiſſimo anni tempore ſic generatur, tunc enim, cum aer abierit in verſionem frigidam aſcendentibus vaporibus ob ſui tenuitatem ſive ſubtilitatem, ita tamen ut in illis reperiatur admixta aliqua portio partis craſſæ fit ut ji a ſumma aeris frigiditate condenſetur atque ita denſati in terram deſcendant, & ningere accidat: ex quibus apparet quoq; ratio, cur nix alba ſit, nimirum quia adſunt plures partes tenues in illà & per conſequens calidæ jam vero grando eſt effectus caloris. Pluvia autē ſæpius accidit ex denſatis vaporibus frigidis ab aeris inverſione, ſi vero in calidis temporibus, fit ob ſeparationem partium tenuium à craſſis, ut de grandine ſuprà diximus; cauſa itidem, cur aqua pluviæ non decidat ita denſata ſicut grando, hæc eſt quia grando a vehementiſſimo ſolis calore fit omnino & quaſi totalis ſeparatio partiū craſſarū a tenuibus ita ut in partibus craſſis nil plane tenuis ſeu ſubtilis remaneat, quod illas efficeret fluidas, ſed facies eſt a calore totaliter coagulata & inverſa: Pluviâ autem in calidis temporibus generata fit quidem ſeparatio partium craſſarum à levibus, ſed nō tanta quin remaneant aliquæ partes tenues admixtæ quę cauſant ut partes craſſæ non poſſint devenire in cā denſitatem ſicut grando. Nubes porro fiunt ex vaporibus rarefactis & expanſis a vigore caloris, debet autem hic vigor non eſſe admodum calens, unde ut plurimum nubes accidunt temporibus mediis, & aliquando in parte craſſiore nubis apparet arcus, quia in illa Solis radij reflectuntur, ac uti heterogenea diverſorum colorum videtur ſecundum magis & minus ſcilicet autumno ac vere, nam dum in æſtate calor vehementiſſimus adeſt, rarefaciendo multum jam duros vapores efficit ut ji magis eleventur,

Pluvia.

Nubes.

Iris.

qui

qui ſi partem ſulphuream habent, accenduntur, & convertuntur vel in fulgura vel in ſtellas cadentes, aut Cometas. Hyeme vero aeris inverſio ita denſat, ut eos ſubito aut pluviæ aut nivis ritu cadere contingat, ergo nubes magis mediis Temporibus vere & autumno, æſtate vero fiunt ex vaporibus neque multum levibus neque multum craſſis: Moventur vero nubes duplici motu, proprio ob calorem quem in ſe continent ac violento ab impulſu aeris currendis ut inferiùs §. 10. de ventis tractabitur.

Fulgur Cometæ.

§. 9. *DE LVNA AC STELLIS.*

LUNA eſt pars cœli reſpectivè denſiſſima, non tamen æqualiter denſata, ſunt enim in eâ partes quædam denſiores, quæ videntur nobis ut montes ſeu maculæ, & hæ nonnullis anſam præbuerunt credendi in eâ alium mundũ contineri. Sed Luna dicitur pars denſa cœli non diaphana, quia ſi diaphana eſſet, radij ſolares qui efficiunt eam luminoſam, penetrarent per ipſam & non reflecterent in illam; habet motum ſuum ſursùm ad deorsùm quando eſt in apogeo & perigeo: Domus ſua eſt ſignum cancri, exaltatio vero ſignum Tauri, habet dominium in plegmate, Mari, ac omni humido, color albus, & metallum ejus eſt argentum. Circumit Zodiacum per 27. dies, horas 8. magnitudo ejus in circuitu eſt 83900060. milliarium, latitudo corporis lunaris. 3020. milliarium. Unum ſignum eſt duodecima pars Zodiaci habens in longitudine 30. gradus, in latitudine duodecim, ſumitur Zodiacus pro faſciâ illâ, quæ à Zona in primo mobili continens ſecundum totum ambitum 306. Cœlum ſtellarum dicitur firmamentum, quia in eo ſunt ſtellæ fixæ atque firmæ, nulla etenim movetur à ſe, ſed omnes unanimiter eodem tempore moventur ab ipſo cœlo in ſuo gyro.

Stellæ

Stellæ errantes ſunt planetæ, omnes, partes cœli magis raræ, ubi calor unitur & reſplendet, videntur nobis radiare propter diſtantiam, & ſunt globi, quia in circulo perfectionantur luces: ambulant per campos cœli, ut piſces in mari & aves in aere, eorum curſum modificat & regulat Intelligentia extrinſeca, & aſpectus beneficorum trinus optimus eſt, producens in materialibus effectus bonos, duo ſunt malefici Saturnus & Mars, ambidexter vero Mercurius, qui cum bonis & è contra: aſpectus quadrati & oppoſiti dant infortunia ac damna, ſicut ſunt collocati in domibus ſeu figura cœli tempore quo ens materiale pervenit ad hanc lucem hæcque ſcientia altrologica ab effectu ortum habuit, & multa incidunt dubioſa, prout quoque illud contra cardanum quod quia ſtella Saturni eſt luminoſa ut evidenter apparet, per conſequens ſit etiam calida nam ubi lumen ibi calor, igitur ubi cum Sole unitur vel aſpectum habet quadratum non poteſt minuere calorem ſolis, nam videmus quod ſi ignis parvus approximetur igitur magno ignis parvus non minuit vigorem magni ignis, ſed potius illi prodeſt: Neque obſtat ſi à Cardano reſpondeatur, quod ſicut aqua vino mixta tollit vigorem vini, ita lumen ſive calor Saturni mixtus calori Solis minuit illius vigorem, quia non eſt par ratio nam quando aqua vino miſcetur, non fit eorum vera unio (perfecta enim unio fit per ſingula minima) ſed experientiâ Teſte, ſi vinum aquæ admiſceatur appoſito poſtea elychnio bombacino ſeparatur aqua a vino, ergo non fuit vera unio aquæ cum vino. Et licet vinum propter aquæ mixturam videatur minus violentum, id eſt ob vini qualitatem quæ deficit, non ob quantitatem quæ ex aquâ adjuncta augetur, idem quoq; dicendum de mixtione minoris mixtioris cū potentiore. Unde non apparet ratio cur Saturnus tollat calorem & producat frigus in materia-

materiabus, ut accidit etiam in globo bombardæ trajecto: ſed hoc dicere poſſumus, gradus caloris ſaturni cum gradibus caloris Solis eſſe diſproportionatos & propterea producere effectus frigidos ac malos: Sciant a vero hæc proportionis graduum non eſt nobis perfectè cognita, ſed aliquatenus per proportionem muſicam agnoſcitur, nam in Muſicâ, ſeptima non eſt harmoniaca, ſed quinta ac octava: Non propterea tamen dicendum Aſtrologiam non eſſe veram ſcientiam, cum talis revera ac perfecta ſcientia ſit ut Job lib. reperitur nunquid noſti ſemitas Nubium & Magnas perfectas ſcientias. Antiqui magi digni muſicam, formarunt per rationem veram, noſcentes talem gradum etiam talem determinatum effectum producere: Neque mirum videri debet, unam eandemque rem ſecundam diverſos & oppoſitos gradus etiam varios gignere effectus: nam Vita conſiſtit in calido non tamen cujuſcunq; gradus, Verbi gratia calidum ut tria, ſi hic calor in tali gradu, qui vitam conſervat, augeatur, & fiat ut quatuor, tunc non ſervabit vitam, ſed mortem infert: ita de frigore dicendum nam aqua frigida ut duo cum nive ejuſdem gradus dat vitam animali, quod illam bibit. at ſi hoc frigus excedat ut quatuor, dat mortem, ut in cicuta, napello, colubro, aliisque rebus venenoſis. Domus cœli vocatur locus ſeu effectus planetarum, ut Leo quia eſt calidior dicitur domus Solis, & ſic de reliquis.

Saturnus, ut ſupra retulimus, eſt planeta maleficus & frigidus, in ſexta, octava, vel duodecima domo ærumnarum, miſeriarum, laborum & ægritudinum auctor. Jupiter beneficus, temperatus magis calefacit quam Venus, pulchritudinis, divitiarum, honorum, adminiſtrationum diſtributor. Mars maleficus, ſiccat, calidus corruptor in alia domo ſuam malitiam diffundit, repentinas ægritudines minatur. Venus benefica, temperata fœcundi[illegible]

mulie-

...ſicium, ludorum, conviviorum, & muſicæ amar... reddit. MERCURIUS mediocris ſiccus & humidus, ...pentiæ, & mercaturæ fautor. De duobus aliis ...netis Sole & Luna ſupra diximus.

DE VENTIS.

VENTUS eſt aer repercuſſus, eò vero potentior in locis ſtagnoſis generatur ventus, quo majus noctis ...gus exiſtit: Flumina quoque ventos producunt, ... enim curſu percutiunt aerem, qui percuſſus alium ... mox miorem repercutit, ex illoq; aere fit ventus ... vehementior quo fluminis curſus magis præceps, ... flumen abundantius eſt aquis ideoque hyeme aut ...tempore frigido flumina plus abundant aquis & vehementiores edunt ventos, motus quoque maris ventos procreant, & in æſtate loca valloſa, qui præ... tim mane ſpirant, nam de nocte frigidus aer non ita facilè intrat valla, ſed oriente ſole venti ibi ...ul...ntur.

SCHEMA VENTUUM A TRITHEMIO deſignatum.

Septentrio

Corus Boreas

Cancer

Circius Aquilo

Subcircius Vulturnus

Aquinoctium

Occidens Oriens

Favonius Subſolanus

Capriconus

Africus Eurus

Auſter Africus Eurus Auſter

Auſter.

§. ii. **DE MATERIA, FORMA, ET *Privatione*,**

MATERIA *eſt primum ſubjectum uniuscujuſque rei, ex quo aliquid eo fit pacto, ut per ſe, & non per accidens inſit, & in quod ultimo reſolvitur id quod interit.* Forma *eſt actus ſubſtantialis unum per ſe conſtituens cum materia.* Privatio *eſt carentia formæ in ſubjecto eam habere apto.* Eſt principium intrinſecum quidem conceptui generationis prout illa Mutatio eſt; extrinſecum verò ſubjecto generationis in ipſo inſtanti temporis quo fit Compoſitum, cum principiet deſinendo. Formæ ſubſtantiales non præexiſtuut actu in mate ia, neque totæ, neque partes illarum; ſed ſunt ante Generationem in potentia paſſiva materiæ & non tantum in potentia activa agentis. Formam edu i è potentia materiæ, eſt formam produci ab agente dependenter à materia, ſive non produci à olo agente; ſed paſſivè concurrente materia tanquam cauſa Materiali, ita ut ſine illa nec eſſe nec co e pi poſſit eductio. Omnes illæ formæ educ ntur è potent a materiæ quæ continentur in potentia eductiva materiæ, quales ſunt primò omnes formæ ſubſtantiales materiales; deinde omnes formæ accidentales reales, quæ fiunt per ſe & immediatè per proprias actiones ac modo naturali. Modi quoque tam ſubſtantiales quam accidentales participant rationem eductionis, cum ita pendeant à ſubjecto, ut nec fieri, nec eſſe poſſint ſine illo, etiam per abſolutam Dei potentiam, quare non rectè dixeris poſſe creari Modos. Formæ elementorum initio mundi propriè & philoſophicè loquendo eductæ ſunt è potentia materiæ. Eadem eſt ratio de formis Cœlorum, licet aliter ſentiat Suarez, Materia illorum in genere cauſæ materialis ſaltem natura fuit prior quam formę, tametſi tempore fuerint ſimul,

qua

quia Temporis interruptio actiones non variat eſſentialiter.

DE VNIONE, ET COMPoſito. §. 12.

RECTE Suarez Diſp. 13. Met. Sect. 9. nu. 15. unicum aſſignat Unionis modum in Compoſito, cum unum ſufficiat vinculum ad unienda duo extrema. *Vnio* enim *eſſentialiter nexus eſt attingens & copulans duo extrema.* Gratis itaque contendunt aliqui ponendas eſſe duas uniones; unam ſe tenentem ex parte formæ, alteram ex parte materiæ, gratis & abſque fundamento dicitur Unio perfectio utriusque extremi per modum actus ſubjectari, quia eatenus Unio tantum in creatis poteſt dici perfectio extremi, quatenus colligat unum extremum cum alio, ergo ſive colliget per modum ſubjecti ſui, ſive termini, modo revera colliget, ſufficienter perficit extrema. Unio formæ materialis cum forma educitur è materia. Unio animæ rationalis fit per ſe propria actione à parte rei diſtincta ab illa, quâ creatur ipſa anima rationalis. Unio Compoſiti ſive purè materialis, ſive partim materialis, partim ſpiritualis inhæſivè dependet à materia, terminativè a forma. Compoſitum phyſicum à partibus ſeorſim ſumptis diſtinguitur realiter; à partibus ſimul ſumptis differt modaliter; à partibus ſimul ſumptis & unitis nec re, nec ratione.

DE NATVRA ET ARTE. §. 13.

NATURA *eſt principium, & cauſa ut id moveatur, & quieſcat, in quo primo, per ſe, & non per accidens ineſt.* Omnis & ſola materia & forma ſubſtantialis eſt natura ab Ariſtotele definita: Materia quidem, quia eſt principiũ merè paſſivũ illius, in quo eſt:

Forma verò quia eſt etiam principium activum. Ens naturale dicitur, quod conſtat natura jam definita. Cœlum eſt ens naturale, & habet principium paſſivum motus localis, & principium activum lucis. Elementa & mixta ſunt entia naturalia, quibus convenit principium activum motus localis, & alterationis. Viventia præter motum jam allatum, habent etiam principium accretionis: & ſi ſint perfecta animalia habent principium motus progreſſivi. Homo eſt ens naturale, non tantum ratione materiæ, ſed etiam formæ. Tametſi Ars juvet naturam, eamque aliquo modo perficiat, nunquam tamen ita aſſurgit, ut naturæ opera ex ſe, ſuaque vi moliatur, ſive ut habitus Artis vel ipſa forma artificialis influat phyſicè in aliquod opus quod Natura ſit, poteſt nihilominus Ars applicare activa naturalia paſſivis, ut inde prodeant opera Naturæ, quo modo per Alchimiam poteſt fieri verum aurum.

DE CAUSA, ET CAUSALITATE.

§. 11.

CAUSA eſt principium per ſe influens eſſe in aliud. Tot ſunt genera cauſarum quot ſunt quæ reſpondentur ad quæſtionem propter quam res eſt, hæc autem ſunt quatuor. *Cauſalitas eſt influxus quo unaquaque cauſa in ſuo genere influit eſſe in effectum.* Hæc ſemper importat aliquid à parte rei diſtinctum à nuda entitate cauſæ. Diverſarum cauſarum non eſt neceſſariò diverſa cauſalitas. Materiæ cauſalitas tranſiens & in fieri eſt paſſiva eductio, vel inductio formæ in materiam, ſive eſt paſſiva generatio aut receptio generationis: permanens eſt paſſiva unio ſive ſuſtentatio formæ jam productæ. Cauſalitas formæ eſt unio ſive informatio actualis, prout illa conſideratur ex parte formæ. Conditio ſine qua non poteſt cauſare forma, duplex eſt,

una

una ex parte formæ, indiſtantia ... , ſive intima propinquitas ad materiam : quæ quidem conditio ſimpliciter eſt neceſſaria : altera ex parte materiæ & ſunt diſpoſitiones conſervationi formæ convenientes, quæ ſolum neceſſariæ ſunt ſecundum curſum naturæ ordinarium.

DE CAVSA EFFICIENTE. §. III.

CAVSA *Efficiens eſt id , quo tanquam primo principio extrinſeco per ſe effectus procedit.* Cauſalitas ejus eſt actio , quæ eſt emanatio effectus à cauſa , determinans cauſam effectum , & diſtincta modaliter ab agente , termino , ac ſubjecto. Res creatæ verè ac propriè efficiunt ſibi effectus connaturales. Non ſola ſubſtantia creata attingit & producit ſubſtantiam in generatione rerum naturalium : Sed etiam accidentia, ita ſunt inſtrumenta ſubſtantiæ, ut cum illa proximè & per ſe attingant eductionem formæ ſubſtantialis. Similiter non ſola forma accidentalis ; Sed etiam ſubſtantialis attingit per ſe immediatè productionem alterius ſubſtantiæ , ſi nempe intra ſphæram activitatis ſubjecto ſuo ſit ſufficienter approximata , quo fit ut accidens in hac efficientia ſe gerat ut inſtrumentum conjunctum formæ , & non omnino ſeparatum quoad cauſalitatem. Omnia accidentia quocunque modo ſeparata à connaturali ſuo agente principali requirunt concurſum alterius agentis ſubſtantialis , ut veluti inſtrumenta novam ſubſtantiam efficiant. Quotieſcunque effectus productus in mundo inferiore non excedit vim ſolis aut cœlorum , per lumen & alias influentias operantium , abſente causâ principali propriâ , ad illas veluti cauſas principales pertinet. Quotieſcunque verò excedit , ut contingit in generatione omnium viventium, causa principali propriâ abſente, in omnium rerum Auctorem referendus eſt.

Emanatio ſive reſultantia phyſica eſt vera efficientia ſeu actio. *Idea interna, ſive propriè dicta eſt forma mente concepta, ad cujus ſimilitudinem agens intellectuale producit effectum,* & quidem in Ente increato ſive Deo eſt ipſa eſſentia divina, prout per modum actualis cognitionis, ſive ſpeciei repræſentat creaturas factibiles. In creatis eſt accidens, ſive qualitas inhærens intellectui. Idea revocatur ad cauſam efficientem, non ad formalem, Cauſalitas ipſius eſt activa directio Agentis, & determinatio effectus quoad ſpeciem.

§. 16. *DE CAVSA PRIMA, ET SEcundâ.*

ACtus Divinæ Potentiæ ad extra generatim ſunt duo: Creatio & Gubernatio. Ad Gubernationem pertinent tres actus particulares; primus Conſervatio rerum, cui opponitur Annihilatio. Secundus Immutatio, quâ res perficiuntur vel ſubſtantialiter, per introductionem formæ ſubſtantialis in materiam: vel accidentaliter per introductionem formæ accidentalis, ſive naturalis, ſive ſupernaturalis, in ſubjectum. Tertius Cooperatio. Deus actu concurrit cum cauſis ſecundis ad omnes actiones & effectus illarum, non ſolùm immediatione virtutis: Sed etiam ſuppoſiti. *Concurſus Dei* cum cauſis ſecundis non eſt aliqua qualitas per modum principij activi impreſſa cauſis ſecundis prius naturâ quã agant. Sed *eſt ipſa actio cauſæ ſecũdæ prout procedit à Deo,* quæ reſpectu Dei tranſiens, reſpectu cauſæ ſecundæ aliquando immanens, aliquando tranſiens eſt. Cauſa ſecunda dicitur determinare prima, tam quoad ſpeciẽ, quàm ad exercitiũ, quia ex natura ſua poſtulat habere concurſum naturæ ſuæ convenientem. Deus autem ſe accommodat rerum naturis. Hæc determinatio non eſt aliquid poſitum ab humana voluntate ſive

volun-

voluntate divina; nec eſt aliquid prævium actioni voluntatis; ſed eſt ipſamet voluntatis actio, quatenus formaliter reſpicit cauſam ſecundam, tanquam radicem, rationem ſive cauſam; in quam refundendum ſit, quod effectus hic & nunc potius ponatur, quàm non; aut in tali ſpecie, quam alia. Radix determinationis quoad individuationē actus, à Deo eſt.

DE CAVSA FINALI, &c. §. 17.

FINIS eſt vera & realis Cauſa, imò Cauſa Cauſarum, definitur, *Id cujus gratia fiunt cætera.* Finis Cauſalitas eſt Motio metaphorica, ſive actualis amor finis, prout pendet à fine, Cauſat ſecundum eſſe reale, quod eſt actu, vel videtur eſſe actu, quamvis revera non ſit, item quod vel eſt poſſibile, vel videtur poſſibile. Eſt tamen eſſe intentionale, ſive cognitio de bonitate finis, conditio, ſine qua non cauſat. Cauſæ extrinſecæ ſunt perfectiones intrinſecis, tam in eſſe, quam etiam in ratione cauſandi. Idem numero effectus non poteſt naturaliter produci ſimul a duabus cauſis totalibus, ejuſdem ordinis & generis; poteſt tamen produci ſupernaturaliter. Effectus caſuales & fortuiti dari poſſunt, & dantur ſæpenumerò reſpectu omnium Agentium particularium & creatorum; reſpectu verò Agentis increati nihil eſt fortuitum. *Monſtrum eſt effectus naturalis à recta & ſolita diſpoſitione, ſecundum ſpeciem notabiliter degenerans. Fatum eſt inhærens rebus mobilibus immobilis diſpoſitio, per quam Divina Providentia ſuis quæque nectit ordinibus.* Dicitur a fando, quod quaſi lex à Deo pronunciata ſit; ut illa cauſarum atque effectuum ordinatio ſit rata, firma ac ſtabilis, non quidem ex ſe; ſed prout ſubſtat immutabili Providentiæ Divinæ.

§. 15. **DE CAVSARVM CONNEXIONE.**

QVOD eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati. Verum eſt Axioma de omni cauſa cauſati ejusdem generis ſive ordinis, naturaliter & phyſicè, ſive realiter & poſitivè cauſantis; ut quia ſol eſt cauſa lucis, & lux caloris; ideo etiam ſol eſt cauſa caloris; & quia Avus eſt cauſa patris, etiam eſt cauſa filii ac nepotum; & ſi quis plantet arborem, non ſolum eſt cauſa arboris, ſed omnium etiam fructuum, qui ex illa proveniunt. Dixi phyſicè realiter & connaturaliter cauſantis; quia non ſemper veritatem obtinet, in cauſis & effectibus negativis, ac privativis, aliisque per accidens contingentibus. Unde licet motus tibiæ V. C. fiat à virtute progreſſiva animalis; claudicatio tamen per accidens adjuncta non reducitur ad virtutem progreſſivam tanquam ad cauſam; quia non cauſatur à tibia, prout movetur à virtute progreſſiva; ſed prout incapax eſt ſuſcipere influxum motivæ virtutis ob ſuam obliquitatem. Simili modo licet Deus ſit cauſa hominis & humanæ voluntatis, concurratque cum omnibus ejus actionibus: non tamen eſt cauſa peccati, quod ab humana voluntate committitur; quia peccatum eſt privatio quædam, & obliquitas Æternæ Legi, tanquam regulæ rectiſſimæ repugnans, & defectus potiùs, quàm effectus; in quem proinde Deus nec immediatè, nec mediatè influere poteſt. Quamvis & in hujusmodi privativo ac morali cauſandi genere ſæpenumerò Cauſa Cauſæ vere eſſe, ac dici poſſit, Cauſa Cauſati. Nam abſentia V. G. vel negligentia Gubernatoris navis, eſt cauſa moralis cauſati naufragii, & ejusdem nihilò minus cauſa eſt is, qui eum vel arte Gubernatorem detinuit. Simile contingit in iis Parentibus, & malorum Antſignavis, quorum vitia, non degeneres nepotes, ac ſucipuunt, ſequuntur.

ſentialiter imitantur. Itaque in quolibet cauſandi genere, abſolutè & univerſaliter verum eſt Axioma hoc ſenſu: Quicquid eſt cauſa cauſæ ut cauſæ, eſt etiam vel in eodem, vel in diverſo cauſandi genere cauſa cauſati. Vide D. Thomam Parte. 1. Quæſt. 49. Art. 2. ad 2.

ACTIO, PASSIO, MOTVS. § 19.

ACTIO *eſt ultimus actus agentis, quo mediante fit Effectus.* Actio, Paſſio, & Motus neque ſunt res diſtinctæ, neque modi diſtincti à parte rei. Unus & idem modus prout forma exit ab agente dicitur Actio, & denominat Agens, prout recipitur in patiente dicitur Paſſio & denominat Patiens; prout eſt fluxus, via, ſive tendentia ſubjecti ad formam dicitur Motus, ſivè Mutatio, & denominat Mobile, differt tantum ratione, ſivè definitione. Actio præciſè prout eſt actio non habet ſubjectum inhæſionis, ſed denominationis. Actio, quæ eſt in ſubjecto inhæſionis, in illo eſt, in quo eſt ejus terminus. Actio immanens eſt in Agente non ut agens eſt formaliter; ſed ut agens materialiter. Actio tranſiens non eſt in agente; ſed in patiente, quod realiter eſt ab agente diſtinctum. *Motus eſt actus Entis in potentia prout in potentia eſt.* Ut Motus ſit unus numero, requirit hæc tria; Terminum ad quem, Mobile, Tempus una numero: non autem requiritur ſpatium, nec unitas moventis numerica. *Motus localis ſivè latio eſt continua, eaq; ſucceſſiva productio ubicationis unius poſt alteram.* Fieri non poteſt in inſtanti: poteſt tamen quælibet res creata virtute divina ab uno extremo transferri in aliud immediatè, non tranſeundo medium; neque id ſolum per reproductionem ejusdem rei in alio loco; ſed etiam per actionem productivam tantum novæ alicujus præſentiæ. Motus terminatur ad Subſtantiam, Quantitatem

Qualitatem, Ubi & Situm, qui duo poſtremi motus, non diſtinguuntur magis inter ſe, quam Ubi & Situs.

§ 20. FINITUM.

Finitum eſt, quod certis concluditur terminis. Sumitur ex lib. 1. de cœlo, textu 71. alij definiunt finitum eſſe id, cui fieri poteſt additio, ſed minus commodè & verè: quia annulo v. c. vel alij cuicunque circulo non poteſt in ratione circuli fieri additio, ut docetur lib. 2. de cœlo, textu Commentatoris 23. cum tamen ſit revera finitus ſimpliciter; licet ſecundum quid dicatur infinitus, ſtatuaturque ſymbolum Æternitatis, quia non habet determinatum aliquem terminum, ſed in rotundum ambitum ductus, omni ex parte initium habet, ut docet Ariſtoteles lib. 3. ph. cap. 4. ubi varias adfert Infiniti acceptiones, atque etiam labyrinthum dici poſſe ſecundum quid, ſive impropriè infinitum, propterea quod non niſi labore magno pertranſeatur. Rectius igitur Finitum dicitur eſſe id, quod certos habet terminos, ſive actu deſignati illi ſint, ſive potentia deſignabiles, quomodo circulus etiam figura finita eſt; nam uti omni ex parte initium habet, ita in ſeipſo deſinit; Et ut docet Euclides lib. 1 elementorum definitione 14. & 15. *ſub una linea comprehenditur*, quæ peripheria appellatur. Vide Clavium in locum Euclidis citatum. *Finitum eſt, omne quod componitur ex finitis.* Commentator in 6. phy. textu 20. & textu 60. ex Ariſtotele lib. 1. de cœlo textu 34. Itaque ſi partes finitæ ſint in magnitudine, erit finita magnitudo; ſi partes finitæ numero, erit numerus finitus, & ita de cæteris. Ratio eſt, quia totum non eſt alterius naturæ a ſuis partibus. Verba Ariſtotelis loco citato ſunt. *Quod finitis ſimplicibus conſtat, neceſſe eſt finitum eſſe [illegible]*

Quod

Quod enim ex finitis & multitudine & magnitudine componitur, finitum eſt & multitudine & magnitudine, tantum enim erit quanta ſunt ex quibus eſt compoſitum. Similiter, finitum eſt omne id, quod vel conſumitur a menſuratione finiti, ut habet Commentator citato textu 20. Vel quod conſumitur finito quocunque ſemper inde accepto: ut docet Ariſtot. 1 phy. textu 37. & ex illo D. Thomas in 3. phyſ. lectione 10 textu 60.

INFINITVM. §. 11.

Etsi non omnino improbabilis videri poſſit opinio aſſerens Infinitum Categorematicum ob multos & graves qui eam tenent Auctores: abſolutè tamen probabilior, & ut auctoritate celebrior; ita rationi longè conformior eſt ſententia negativa; quæ tantùm abeſt ut Divinæ Omnipotentiæ quidquam deroget; ut magis pro ea facere videatur, quam affirmativa ſententia. Etenim Potentia divina ratione ſuæ infinitatis talis eſt, ut exhauriri non poſſit, quantolibet effectu creato. Cognoſcit quoque Deus res poſſibiles eo modo, quo ſunt poſſibiles; conſequenter nullum cognoſcit effectum tam magnum, quin cognoſcat majorem illo, quem etiam ultra poteſt producere. Nullum in Æternitate deſignate erit punctum, quo verum erit dicere: Jam numerus actuum à Creaturis omnibus elicitorum, quoad ſpeciem mutatur; ita ut ex finito fiat infinitus actu; ſicuti v. c. licet creſcat intenſivè in infinitum: nunquam tamen verum erit dicere: in hoc vel illo intenſionis gradu mutatur ſpecies caloris; vel ex calore fit frigus; vel alia qualiſcunque qualitas. Etenim Finitum & Infinitum ſunt ſpecie diſtinctæ; quare abſolutè implicat contradictionem, in continuatione ejusdem intenſionis aut extenſionis procedi à Finito ad Infinitum, cum res ſpecie

eſſentiali diſtinctæ nequeant intrinſecè continuari. Quod etiam unum eſt ex præcipuis fundamentis negandi Infinitum.

§. 12. *VBI, SITVS, LOCVS, Vacuum.*

UBI *eſt præſentia rei ubicata.* Unumquodque ens habet præſentiam ſibi proportionatam, aliud quidem corpoream, aliud ſpiritualem, & rurſum aliud partialem, aliud totalem. Ubi prædicamentale modaliter differt à re ubicata. *Situs eſt diſpoſitio totius corporis ex ubicatione partium conſurgens.* Situs & ubi corporeum cum ſimul reperiuntur, non diſtinguuntur à parte rei; ſed ſola ratione ratiocinata. *Locus eſt ſuperficies prima corporis continentis immobilis.* Idem corpus naturaliter non poteſt eſſe in pluribus locis; ſupernaturaliter poteſt etiam circumſcriptive. Ut res una ponatur ſimul in pluribus locis, non neceſſariò requiritur reproductio ſubſtantialis, ſed ſufficit ſola actio adductiva, qua ponitur res in alio loco. Sicuti per productionem ſolius albedinis ſine nova productione parietis, paries de non albo fit albus, ita per productionem ſolius Ubi, corpus aliquod jam ante procreatum, poteſt fieri præſens alicubi, quod antea non erat ibi, abſque ulla reproductione ſubſtantiali. Sic angelus in exiguo ſpatio exiſtens per acquiſitionem novi tantum Ubi ſe extendit in majus ſervato priore; Et anima rationalis per accretionem occupat majus corpus quàm occupabat: ac viciſſim per diminutionem v. c. manus aut pedis ablationem, præſentiam deperdit, abſque ullo ſui interitu ſubſtantiali. *Vacuum eſt locus privatus corpore.* Certum eſt virtute divina poſſe induci vacuum, virtute angelica non poteſt. Naturaliter fieret motus localis intra vacuum, ſi daretur, non fieret naturaliter motus ex pleno in vacuum.

DVRA-

DVRATIO, CONTINVVM.

DVRATIO *eſt continuatio exiſtentiæ rei.* Alia eſt intrinſeca, per quam res intrinſecè & in ſe durat, à qua ſola ratione diſtinguitur. Alia eſt extrinſeca, per quam tanquam per menſuram extrinſecam cognoſcitur intrinſeca rei. Rurſus alia eſt permanens, ut *Æternitas*, quæ *eſt interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio.* *Ævum* quod *eſt duratio creata indefectibilis ex ſe.* *Modus ævi* qui *eſt duratio creata defectibilis ex ſe:* Et quarum prima convenit Deo, ſecunda rebus naturalibus incorruptibilibus, tertia corruptibilibus. Alia ſucceſſiva, ut Tempus tum continuum tum diſcretum, illud primò convenit ſolis motibus phyſicis continuè ſucceſſivis & deſcribitur. *Numerus motus ſecundum prius & poſterius.* Hoc convenit pluribus operationibus Angelicis diſcrete ſucceſſivis. Continuum componitur ex partibus diviſibilibus in infinitum, proinde ab Ariſtotelè rectè definitur eſſe *id quod diviſibile eſt in ſemper diviſibilia.* In quo ſcilicet non datur pars minima terminans diviſibilitatem. Indiviſibilia in continuo actu ſunt entitates reales. Poſſunt per abſolutam Dei potentiam non tantùm aliqua; ſed abſolutè omnia ſine quantitate conſervari. *Inceptio eſt initium exiſtentiæ rei. Deſitio eſt finis.* Omnia ſucceſſiva ut Motus & Tempus propriè dicta, item accidentia quæ incipiunt & deſinunt cum motu, incipiunt & deſinunt intrinſecè. Indiviſibilia rerum ſucceſſivarum, item actiones inſtantaneæ, ut generationes & creationes, aliaque quæ conſiſtunt in indiviſibili, ut Angelus; præterea, quæ nullum habent contrarium in ſubjecto, ex ſua incipiunt & deſinunt intrinſecè.

***

CREA-

§ 34. *CREATIO, VNIVERSVM, COELVM, Tonitru, Terræmotus.*

CREATIO *eſt productio rei ex nihilo*, identificatur cum ſuo termino. *Conſervatio eſt continuata productio ejusdem eſſe, quod primo communicatum fuit. Annihilatio eſt ſubtractio influxus divini quo conſervabatur creatura.* Res permanentes ſive corruptibiles ſive incorruptibiles potuerunt eſſe ab æterno: res ſucceſſivæ non potuerunt. *Mundus eſt compages ex cœlo, terra, & reliquis naturis quæ intra eam continentur, coagmentata:* De fide eſt, non fuiſſe conditum ab æterno: quod tamen philoſophice demonſtrari non poteſt. Quoad præcipuas ſuas partes, Angelos, Animas rationales & Materiam primam, per creationem: quoad alias verò per generationem liberè à Deo, idque 6. diebus veris & vernis menſe Martio productus eſt. Cœlum conſtat materia & forma eſſentiali ſpecie diverſa à ſublunari. Movetur ab ortu in occaſum motu ordinario. Præter hunc motum non datur in cœlo diſtinctus alius ab occidente in orientem, quem vocant proprium: nec motus trepidationis, nec denique ullus motus librationis, nec omnino plures motus ſimultanei ſimplicibus cœlorum corporibus aſſignandi ſunt. Si rationem ſimpliciter ſpectemus, ſive à lumine naturali, ſive ab experientia ductam, probabiliſſimum videtur, tres eſſe cœlos propriè dictos, Empyreum, Siderium & Ætherium. Empyreum inter omnia corpora lucis pleniſſimum, inſtar immenſæ civitatis ſuperiorum ſedes omnibus. Siderium naturâ ſuâ ſolidum eſt; in illo ſunt omnes ſtellæ, quæ ſitum ad ſe invicem eundem ſervant, hæ rectè immobiles ac fixæ dicuntur, nec alio quam orbis ſui motu cientur: in æthereo ſunt 7. planetæ, ſuis quilibet ſphæris diſtincti: Unde S. Paulus dicit, quod raptus fuerit in Tertium cœlum,

necnon

nempe empyreum ubi gaudia beatorum primùs ut ſunt labris attigit: de quibus infra §. 35. Tonitru jam cauſatur, cùm in nubibus denſæ quædam concavitates exiſtunt in quibus ſpirituoſi incluſi & à calore Solis rarefacti flatus exitum quærentes, ſemetipſos percutiunt, & concavam nubem ac ſi quid aeris eſt in illis, ſimulque nubem ipſam rumpunt ac dilatant, unde ſtrepitoſus ac horribilis ille ſonitus ad inſtar tormenti bellici eliditur, quem etiam piſces maris ad fundum uſque profugientes reformidant: Similiter ex incluſo Terræ venis aere, generatur Terræ motus.

VICISSITVDO GENERATIONIS ET Corruptionis. § 25

UNIVS *generatio eſt alterius corruptio.* Lib. 1. de gen & Cor. tex. 17. & 20. Ratio eſt, quia plures formæ ſubſtantiales natæ conſtituere compoſitum phyſicum cum materia, repugnant ſibi mutuò ſecundum differentias ſpecificas, & ſunt incompoſſibiles naturaliter in eodem ſubjecto; materia etiam limitatam habet capacitatem, ſive potentiam receptivam, ut non poſſit ſimul naturaliter admittere plures ejusmodi formas. Hinc Generatio *Vnius*; nempe compoſiti phyſici ſubſtantialis, per ſe adæquatè ſubſiſtentis, eſt corruptio alterius, & è converſo *Vnius corruptio alterius eſt generatio.* Ibidem, non quidem formaliter, quaſi mutatio corruptiva ſit mutatio generativa, hæc enim tendit ad eſſe, illa ad non eſſe, ſed concomitanter id eſt, quando corrumpitur unum compoſitum tunc alterum generatur, & contra, quia hæc duo naturaliter ſunt connexa. Item cauſaliter; quia corruptio ſuo modo eſt cauſa diſpoſitiva generationis, & generatio viciſſim cauſa effectiva corruptionis. Intelligi etiam poteſt utrumque non ſolum de compoſitis phyſicis, ſed etiam de ipſis compo-

compoſitorum formis ſubſtantialibus adæquatis. Quanquam de hiſce non eodem modo, quoniam cum ex homine V. C. generatur cadaver, non corrumpitur anima rationalis quoad eſſe, ut contingit in morte equi vel leonis; ſed tantum quoad informare: ſicuti neque locum habet in omnibus formis accidentalibus, quaſi quotieſcunque unum accidens corrumpitur, alterum generetur & contra; hoc enim falſum eſt in accidentibus, quæ carent contrario, ut ſunt lumen, & ſpecies intentionales, quæ producuntur nulla pereunte, & pereunt nulla expellente, & per ſe ſuccedente forma poſitive contraria. Intelligitur itaque & abſolutè verum eſt utrumque in compoſitis phyſicis ſubſtantialibus; in his enim Ariſtoteles unius Generationem dixit eſſe Corruptionem alterius vel totalem vel partialē, ut perſpicuum fiet intuenti verba textus.

§. 26. ANIMA ET EIVS SVBIECTVM.

SCIENTIA de Anima nobilior eſt quâvis aliâ Scientiâ naturali: ita abſolutè Speculatrix, ut nullam praxim admixtam habeat. Objectum ejus adæquatum eſt ſola Anima: Ea ab Ariſtotele lib. 2. de anima cap. 1. tex. 6. rectè definitur; *Actus primus corporis naturalis organici potentiâ vitam habentis*. Rectè etiam textu 24. dicitur. *Primum principium, quo vivimus, ſentimus, loco movemur & intelligimus*. Per corpus aliqui intelligunt materiam primam organizatam; alij compoſitum ex Materiâ organizatâ & Animâ, utrique probabiliter. Subjectum animæ debet eſſe continuum, mixtum & heterogeneum. Sanguis non eſt animatus, uti neque humores alimentitij, ſive primarij, ſive ſecundarij, & excrementitij; Semina Plantarū & ſtirpium vivunt, quamdiu continuantur cum ſtirpe vivente. Animæ Plantarum & omnium animalium brutorū, tam perfectorum, quam imperfectorum informant & educuntur, ſola anima rationalis ex omnibus formis viventium

Nam indiviſibilis eſt, & informat ita, ut ſit tota in toto corpore, & tota in qualibet ejus parte. Non prius informat cor, aut jecur, quàm cæteras corporis partes primarias.

GRADUS ANIMUM. §. 27.

OMNIS Anima vel eſt vegetativa tantùm, vel etiam ſenſitiva, vel inſuper rationalis, gradus Viventium, ſi à vitâ ſubſtantiali ſumantur, videlicet Animâ, tres ſtatuendi ſunt, juxta Animarum gradus ſupra aſſignatos. Sin autem a vitâ accidentali, ſive ab actibus vitalibus, non incongruè Locomotivus additur ab Ariſtotele, & ſtatuuntur quatuor. Prior diviſio trimembris propriè philoſophica eſt; poſterior quadrimembris non eſt omnino accurata, ſed ſolùm per operationes vulgò notiores aſſignata. In uno Vivente nec ſimul, nec ſucceſſivè plures ſunt animæ. Formam corporeitatis cōſtituere eſt multiplicare Entia ſine neceſſitate. Partes corporis heterogeneæ neque ſpecie eſſentiali differunt, neque ſubſtantialiter intra eandem ſpeciem, ſed ſolùm accidentaliter, per diverſas diſpoſitiones, figuras, & potentias vitales inhærentes partibus organicis. Uti non dantur formæ partiales diverſæ a forma totali, ita neq; anima viventis heterogenei componitur ex pluribus partialibus animabus heterogeneis, ſive ejusdem, ſive diverſæ ſpeciei.

POTENTIÆ ET ACTUS. §. 28.

POTENTIA *Animæ eſt qualitas vitalis ſecundæ ſpeciei emanans ab Anima.* Quinque generum ſtatuuntur ab Ariſtotele: Vegetativæ, Senſitivæ, Appetitivæ, Locomotivæ, intellectivæ; Hæc tamen diviſio non eſt omnino accurata; ſed ſolùm quædam enumeratio notiſſimarum potentiarum, deſumpta ex operationibus vitalibus, quæ vulgò etiam manifeſtè differunt. Cauſa efficiens remota potentiarum eſt ea, quæ generat, vel creat Animam, principalis proxima eſt ipſa Anima.

Sub

Subjectum inhæſionis potentiarum inorganicarum, ut intellectus & voluntatis eſt ſola Anima rationalis; Organicæ ſunt in ſolo corpore, ſive Organo corporeo ut informato Animâ; ita ut Informatio Animæ, ſit conditio ſine quâ non reciperetur potentia in Organo. Omnes potentiæ ſunt accidentia realiter diſtincta ab Anima; poſſunt ab eâ per abſolutam Dei potentiam ſeparari. Poteſt etiam Deus quamcunque potentiam ab anima ſeparatam collocare in quolibet alio ſubjecto. Nullus eſt inter illas ordo cauſalitatis efficientis, cùm omnes immediatè dimanent ab Animâ. Specificantur intrinſecè & priori per reſpectum eſſentialem ad actus adæquatos, vel terminos adæquatos; Extrinſecè ab ipſis quidem actibus proximè: ab objectis verò vel terminis remotè. Actio vitalis eſt fluxus ſive tendentia procedens ab Animâ & potentiâ ejus vitali, ad terminum vitalem. Efficiens principale actionum vitalium eſt Anima: Inſtrumentale eſt potentia, quæ abſque actuali illius concurſu nullo modo poteſt eas ſe ſolâ producere. Deus non poteſt ſe ſolo producere actionem vitalem formaliter ſumptam; poteſt autem ſe ſolo producere qualitatem, vel alium terminum cujuſcunque actionis vitalis.

§. 29. *POTENTIA VEGETATIVÆ, ET ſenſitivæ.*

PRIMARIÆ Animæ vegetatricis Potentiæ ſunt tres: Generativa, Nutritiva, Augmentativa. Illa à naturâ ordinata eſt ad propagationem Speciei, iſta ad conſervationem Individui, quoad eſſe ſubſtantiale, hæc denique ad ejuſdem perfectionem ſecundum molem corporis. Attribuuntur his quatuor aliæ quaſi miniſtræ. Attractiva ut per eam ſingula membra attrahant alimentum ſibi conveniens. Retentiva, ut illud ipſum per eam retineatur, & non ſtatim

ſtatim diffluat. Digeſtiva ejusdem & denique Egeſtiva: omnes ſola ratione ratiocinata, & muniis partialibus diſtinguuntur. Cum his eædem à parte rei ſunt, tres aliæ, quas addunt Medici; Diſcretiva, quâ alimentum ſalutare ſecernitur à noxio; Appetitiva & Diſtributiva, quâ ſingulis membris ſua tribuitur portio. Denique Appetitio membrorum nihil eſt aliud, quam ipſa eorum attractio. Potentiæ Animæ ſentientis etiam tres ſunt. Senſitiva, Appetitiva, Locomotiva. Senſitiva ſive *Senſus eſt principium vitale cognoſcitivum materiale*: Senſus ſunt duplices, Externi & Interni. Externi ſunt actu quinque tantùm: Viſus, Auditus, Odoratus, Guſtus, Tactus, ſpecie infimâ diſtincti realiter; de potentia Dei poſſunt eſſe plures. *Species ſenſibiles impreſſæ ſunt qualitates reales, quæ ab objecto productæ, & in organo receptæ, concurrunt ad ſenſationem.* Senſibile commune non producit propriam ſpeciem ſeparatam à ſpecie ſenſibilis proprij; aliquándo tamen eam à parte rei modificat, aliquándo nullum modum poſitivum ſuperaddit. Senſibilia communia ab Ariſtotele quinque numerantur; Motus, Quies, Numerus, Figura, Magnitudo; non quod hæc ſola ſint ſenſibilia communia; ſed quia principaliora, ad quæ reliqua facilè revocantur. Neque naturaliter, neque ſupernaturaliter ſentiri poteſt res indiviſibilis. Omnis ſenſatio requirit concurſum ſpeciei intentionalis.

SENSVS INTERNVS. §. 30.

PRÆTER ſenſus Externos in animalibus datur etiam Internus, re unus, ratione diſtinctus; *Eſt potentia interna materialis cognoſcitiva rerum omnium ſenſibilium*; ſubjectatur in cerebro: Indiget ad ſuas operationes ſpeciebus impreſſis, à ſpeciebus externorum ſenſuum diſtinctis. Senſus Internus non habet propriè ſpecies inſenſatas, nec diſcurrit, aut judicat;

ſed immediatè, ſicuti viſo bono, illud appetere poteſt, non cognoſcendo formalem rationem boni, aut delectabilitatis: ita re viſâ ſibi inimicâ, odiſſe, ac timere poteſt, ſine notitiâ inimicitiæ formali. Senſus Internus (ſicuti & Externus) non percipit propriam ſenſationem: poteſt tamen percipere ſenſationem ſenſus externi. Non cognoſcit objectum ſub ratione formali temporis; ſed ſolùm materiali. Triplex illius generatim eſt læſio. Abolitio, Diminutio, Depravatio.

§. 31. *POTENTIÆ RATIONALES.*

ANIMÆ rationalis Potentiæ ſunt Intellectus, Memoria, Voluntas, Locomotiva Inorganica. Intellectus dividitur in agentem & Poſſibilem, non ſecundum rem, ſed rationem; ob diverſa munia & officia. Dicitur Agens, quatenus in ſe producit ſpeciem intelligibilem: Poſſibilis, quatenùs cum hac ſpecie intelligibili producit intellectionem. Phantaſma concurrit ad producendam ſpeciem intelligibilem inſtrumentaliter. Memoria ſenſitiva re eadem eſt cum ſenſu interno; Intellectiva eſt ipſa vis Intellectus, prout conſervat ſpecies intelligibiles, & per eas ſemel intellecta reminiſcitur. Appetitus alius eſt ſenſitivus, alius rationalis. Objectum illius, in quod per modum proſecutionis fertur, eſt omne bonum ſenſibile; hujus omne bonum intelligibile; Ille in corde ſubjectatur; hic in anima rationabili. Potentia locomotiva organica eſt vis animæ ſentientis, quâ animal vel totum vel aliquâ ſui parte movetur localiter à principio vitæ conjuncto. Inorganica ſpiritualis competit etiam Animæ ſeparatæ.

* * *

DE

DE INTELLECTV. §. 32.

INtellectus eſt potentia cognoſcitiva Spiritualis. Ita rectè definitur Intellectus abſolutè ſumptus, prout non hominibus ſolum & Angelis, ſed Deo etiam convenit. Omnis enim Intellectus ſive creatus ſivè increatus eſt virtus ſivè potentia cognoſcitiva; ſed cum diſcrimine. Nam Intellectus divinus non eſt potentia activa aut paſſiva ſuæ Intellectionis, quoniam ipſe DEUS eſt ſua Intellectio, & ſuus Intellectus: Creatus autem eſt potentia tum activa, tum etiam paſſiva, ſive receptiva ſuarum Intellectionum. Intellectus humanus eſt potentia cognoſcitiva ſpiritualis per diſcurſum. Particula *Cognoſcitiva*, excludit voluntatem: Voluntas enim per ſe non eſt cognoſcitiva, ſed præſupponit Intellectum à quo dirigitur: Particula *Spiritualis* excludit omnes ſenſus ſive internos ſive externos, qui non ſunt ſpiritales ſed materiales. Porrò Intellectus prout ſimplici intuitu ſivè concepto rem intelligit abſque diſcurſu; abſolutè dicitur *Intellectus*, unde & Angeli vocantur *Intelligentiæ*: quatenus verò ignotum deducit ex noto per diſcurſum, revocatur *Ratio*. Dicitur etiam *Mens* ob quandam eminentiam à metiendo, quod rerum veritatem metiatur. Dicitur *Conſcientia*, quatenus elicit actuale quoddam examen humanarum actionum, quo judicat illas eſſe bonas vel malas, & ex eo, quod judicat eſſe bonas, ſequitur in voluntate lætitia bonæ conſcieniæ: Ex eo quod judicat eſſe malas, ſequitùr in eadem voluntate triſtitia, quæ dici ſolet vermis aut remorſus conſcientiæ. Dicitur etiam *Synterefis*, quatenus eſt lumen quoddam naturale, quo promptè aſſentimur primis principiis practicis, ut bonum eſſe proſequendum, malum verò fugiendum.

VOLVNTAS VT REGIT.

§. 33. VOLVNTAS *eſt Domina Potentiarum.* Sumitur ex lib. 3. De Anima tex. 46. Rationem aſſignant Conimbricenſes, quia in omnibus potentiis ordinatis, ea quæ univerſalem finem reſpicit excitat eas, quæ circa particulares fines verſantur, ut tam in naturalibus quàm in politicis rebus videre licet: Atqui objectum voluntatis eſt omne bonum in communi: reliquæ verò potentiæ tendunt in bonum particulare ſibi conveniens: Ergò voluntatis eſt excitare eas ad ſuos actus. Porro Intellectui, Phantaſiæ & Appetitui ſenſitivo imperat voluntas politicè, id eſt; ita ut poſſint interdum reniti, quia inſtar Civium proprio quodam Jure gaudent, quod non poteſt illis voluntas eripere. Neque enim Intellectum illa cogere poteſt, ut aſſentiatur rei falſæ, cùm V.C. excitatur ab objectis extrinſecis mediante cognitione ſenſitiva. Similiter vehementes apprehenſiones phantaſiæ & paſſiones appetitus, non poſſumus pro arbitrio voluntatis ſtatim reprimere, etſi per Dei gratiam poſſimus iis non conſentire voluntate. Potentiæ autem motrici imperat deſpoticè, ita ut hæc ſerviliter ad nutum pareat voluntati. Quandocunque enim volumus, movemus membra extrinſecùs non impedita à morbo, vinculis, aut alio modo. Potentiæ vegetativæ per ſe non ſubjiciuntur voluntati, quia ſola voluntate nec cubitum poſſumus adjicere ad ſtaturam; ſed indirectè & per accidens tantum, quatenus plus minusve vel convenientius alimentum ſumendo, corpus exercendo, &c. poſſumus adjuvare actiones illarum. Idem eſt de ſenſibus externis, quia ſublato impedimento & poſito objecto non poſſunt non operari, indirectè tamen ſubjiciuntur voluntati, videlicet quoad applicationem objecti & prævias actiones, ut ſi claudas oculos, non videbis.

VOLVN-

VOLVNTAS VT REGITVR. §.34.

VOLVNTAS *non fertur in incognitum*. Sumitur ex lib. 3. de anima cap. 10. tex. 54. & refertur à S. Auguſt. lib. 8. de Trinitate cap. 53. Non enim poteſt voluntas operari, niſi producat actum certæ ſpeciei : non autem producit actum certæ ſpeciei, niſi proponatur objectum. *Nihil eſt volitum quod non prius ſit intellectum*. Traditur à D. Thoma lib. 3. Politicorum lect. 2. à Suarez lib. 5. de anima cap. 3. Determinat hæc Propoſitio doctrinam præcedentis, docetque ad eliciendum actum voluntatis non ſufficere cognitionem qualemcunque ſenſus V. C. interni vel externi ; ſed requiri abſolutè præviam intellectionem. Ratio eſt, quia Intellectus eſt propria regula voluntatis, qua in omnibus ſuis operationibus dirigitur : Si ergo Intellectus, qui eſt radix & fundamentum libertatis , nihil cognoſcat aut judicet ; neque etiam voluntas quicquam amplectetur aut reſpuet ; cum libertas formalis, quæ eſt in voluntate, neceſſariò præſupponat libertatem fundamentalem in Intellectu. Quare ad eliciendum actum voluntatis non tantum requiritur cognitio ſenſitiva, ſed abſolutè etiam neceſſaria eſt intellectiva. Neque verò ſufficit ea qualiſcunque , ſed inſuper requiritur ut volitioni futuræ ſit accommodata : juxta illud : *Omnis actus voluntatis præſupponit actum Intellectus proportionatum* ; ut actus amoris V. C. prærequirit apprehenſionem vel judicium Intellectus de objecti bonitate ut ſic , actus odij de ejusdem malitia, & ita de reliquis, ut docet D. Thom. 1. 2. q. 40. art. 2. in corpore. Item Volitio ſupernaturalis cognitionem prærequirit ſupernaturalem ; eò quod dirigens proximè & directum debeant eſſe ejusdem ordinis.

§. 25. **DE VERA COGNITIONE *Dei*.**

ALTIORA te ne quæſiêris, *monet Eccleſ.* 3. *Ab hac lege eximius eſt Theologus, qui ex ſuo officio conari debet ad eum qui ſupra omnia eſt, & inhabitat lucam inacceſſibilem. Sed ne arguatur temeritatis, ipſe Altiſſimus porrigit manus, & facem præfert, monente Pſalmiſta pſal.* 33. Accedite & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur. *Vt Theologus noſcat, quod philoſophus nequit, illuſtratur lumine divinæ revelationis.* Multa à ſæculis abſcondita, revelata ſunt nobis. *Deum eſſe unum & trinum intrepidè pronunciat Theologus, ſed quis philoſophorum hoc ſomniavit? Theologus ope divina nixus ſcrutatur, quæ ſunt ſupra rationem, non autem quæ ſunt contra. Vt ergò probemus nos Theologos, pronunciabimus quædam exercitij gratiâ de Deo Vno & Trino ac de æternis glorijs hominum ac Angelorum, quæ etſi ſupra rationem videbuntur, oſtendemus tamen non eſſe contra rationem, in hoc ſecuti S. Thomã, Theologorum facilè Principem,* & licet hic ſolummodo cognoſcamus per ſpeculum in ænigmate, ibi tamen videbimus de facie ad faciem, ut latiùs infra §. 49. nam ſunt ſeptem gloriæ corporis beati in cœlo. 1. pulchritudo, ut ſepties ſit ſole pulchrius. 2. agilitas, ut ictu oculi ex cœlo in quamlibet partem terræ, ſeu ab oriente in occidentem, inſtar motus angelici, in inſtanti & ad libitum moveri poſſint. 3. fortitudo, ut uno pede concitare valeat terram. 4. penetrabilitas tranſeundi ſicut Chriſtus per ſepulchrum & clauſas januas. 5. Voluptas ex cantu angelorum ac ſuper ſplendore & divitiis Dei. 6. Sanitas indeficiens. 7. immortalitas licet omnes creaturæ contra ipſum pugnarent, nil nocent.

* *

FIDE-

FIDELIS SEV CHRISTIANVS NON EST, *qui Theologus non eſt*. D. Thom. 1. p. q. 1. a. 1. §. 36.

INSOLITUM, inquis, pronunciatum. Tamen verum. Si Catholica fides eſt ipſa Theologia, habemus rem demonſtratam. S Thom hîc ait: *neceſſarium fuit ad humanam, eſſe doctrinam quandam ſecundum divinam revelationem*. Loquitur de Theologia. Et loquitur de ſingulis hominibus, quia ſinguli debent cognoſcere Deum ut finem ſuum, rationem naturalem excedentem. Sed quæ doctrina alia eſt ita neceſſaria, quàm vera fides? Sed & ratio te convincat. Si enim utriusque, Theologiæ ſcilicet & fidei, eſt eadem ratio formalis, utique erit etiam idem habitus: S. Thomas ubique aſſignat eandem, nempè revelationem divinam. *Quia Sacra Scriptura*, inquit art 3 *conſiderat aliqua, ſecundum quod ſunt divinitus revelata, omnia quæcunque ſunt divinitus revelabilia, communicant in una ratione formali objecti hujus ſcientiæ* (Theologiæ) *& ideo comprehenduntur ſub ſacra doctrina, ſicut ſub una ſcientia*. Fides ergo & Theologia una ſunt ſcientia.

Sed inſurgit in nos ingens Recentiorum Turba. Dicunt enim, revelationem divinam utriuſque quidem eſſe rationem formalem, ſed immediatam fidei, & mediatam Theologiæ, adeòque inde non rectè inferri utriuſque unitatem. Sed aſſignate boni viri Theologiæ aliam rationem formalem immediatam. Hîc labor, hoc opus. Quidam aſſignant diſcurſum Theologicum. Sed contra, Nullus diſcurſus tenet ſe ex parte objecti, ſicut ſe tenet omnis ratio formalis ſpecificans, ſed tantum ex parte ſubjecti, ſeu intellectûs diſcurrentis.

Nemo diſcurrens ideo judicat concluſionem veram, quia diſcurrit, ſed quia mediante diſcurſu videt eam contineri in veritate præmiſſarum. Ratio ergo formalis, quæ movet ad aſſenſum præmiſſarum, etiam movet ad aſſenſum concluſionis, at diſcurſus ſolùm eſt conditio applicans rationem formalem ad concluſionem. Hinc diſcurſus non Theologicæ, ſed Logicæ conſiderationis eſt. Alij putant ſe rem tangere melius, ſi Theologiæ tribuant rationem formalem compoſitam ex lumine naturæ & divinæ revelationis: dicunt enim, quando Theologus procedit ex præmiſſa una revelata, & altera lumine naturali nota, ratione utriuſque præmiſſæ concluſionem eſſe veram. Sed iſti non advertunt, Theologiam etiam procedere ex præmiſſis duabus revelatis. Qualis ergo tunc erit immediata formalis ratio? Deinde ſi utraque præmiſſa, una fidei, & altera naturalis notitiæ, continet integram rationem formalem concluſionis Theologicæ, concluſio ſimul erit evidenter & obſcurè nota, quod nemo dixerit.

Tannerus d. 1. q. 3. dub. 2. *Theologiæ noſtra ſimpliciter dictæ*, inquit, *ratio formalis objectiva, ſive propter quam, immediata & completa, eſt principium revelatum, ut creditum fide divina, ſive ipſe aſſenſus fidei circa principium revelatum.* Sed quid hoc? Eſtne idem aſſenſus fidei circa principium revelatum, & ipſum principium revelatum ut cognitum fide divina? Objectum & cognitio objecti? Non aſſequimur. Sed ſit. Quomodo aſſenſus fidei poteſt eſſe ratio formalis objectiva, cùm ſit cauſſa efficiens aſſensûs concluſionis? Ratio objectiva cognoſcitur, & non eſt ipſa cognitio, niſi forte reflexè. Deinde ipſum principium revelatum alia ratione non poteſt eſſe ratio motiva concluſionis Theologicæ, niſi quia revelata, ergo propter revalationem ſolam. Et hoc volumus. At principium ſeu præmiſſa fidei, inquis,

eſt

eſt immediatè revelata, concluſio vero Theologica mediatè. Sed quid hoc ad rem? An propterea variatur cognitio fidei, ſi Deus mihi immediatè revelet aliquid, & idem revelet mediante Eccleſia? Minimè. Utrumque per eundem fidei habitum credo. Similiter præmiſſæ fidei immediatè revelatæ, & concluſioni in ipſa præmiſſa mediatè revelatæ aſſentio propter eandem revelationem eodem habitu. In hoc diſcurſu Theologico: omnis homo eſt riſibilis; Chriſtus eſt homo, ergo eſt riſibilis: non alia de cauſſa cenſetur propoſitio Concluſionis vera, niſi quia eſt revelata in hac: Chriſtus eſt homo. Hinc Concilia ſtatuerunt multa eſſe de fide, quia continentur in articulis fidei, abſque alia expreſſa revelatione. Firmum ergo ſit, eundem habitum eſſe fidei & Theologiæ.

Non impediat te, quod dicatur Theologia acquiri ſtudio, & fides infundi. Actus utriuſque acquiruntur ſtudio, & habitus infunditur. An non pueri baptizati habentes habitum fidei, ex Catechiſmo addiſcunt articulos fidei? Sic ſtudio Theologico non habitus, ſed actualis fidei notitia ad plures concluſiones extenditur. Ergo, inquis, omnis Ruſticus fidelis, eſt Theologus. Concedimus, ſi Theologum vocas, qui habet habitum Theologiæ, & oportet ſic eſſe. Sin autem ex communi uſu cum intelligas, qui ope diſcursûs ex articulis fidei colligit varias & ampliſſimas concluſiones de variis fidei veritatibus, & quæ ex naturali ratione opponuntur, diſſolvit, utique non omnis fidelis erit Theologus, ſed qui in Logicis, & Theologicis bene verſatus ſit. Hîc opus eſt multo ſtudio, & exercitio, non tamen novo habitu præter fidem. Ipſa fides eſt, quæ quoad actus ſe gignit, ſe protegit credendo omnia divinitus revelata & inde indubitatè concludenda. Sed forte pro axiomate habes, fidem non eſſe habitum diſcurſivum, ſicut eſt Theologia? Profecto hoc

axioma nobis videtur falſum. Si enim in unâ propoſitione fidei continetur altera, cur per diſcurſum eadem fides illam eruere nequeat? Quid impedit? Nunquid eadem ſcientia diſcurſiva ſine diſcurſu aſſenſum præbet præmiſſis, in eadem facultate per alia media demonſtratis, & concluſioni ex diſcurſu? Certè præmiſſis tunc non aſſentimur per habitum primorum principiorum, qui tantùm verſatur circa propoſitiones per ſe & ex terminis notas: at illæ propoſitiones ſunt per aliud notæ. Eâdem fide humana credo penultimum Summum Pontificem eſſe mortuum, & quod inde colligo per modum Concluſionis, Urbanum VIII. Florentinum ex familia Barberina eſſe mortuum. Ergò non repugnat eundem habitum aſſentiri præmiſſis ſine diſcurſu, & concluſioni cum diſcurſu.

Ergò, inquis, non eſt opus in ſcientiis habitu diſtincto primorum principiorum & Concluſionis? Negamus conſequentiam. Aliud eſt motivum, ſi propoſitio per ſe ex terminis eſt nota, & aliud, ſi per aliud eſt nota. Mirum proinde non eſt, tunc dari alium habitũ circa præmiſſas, & alium circa concluſionem. In Theologia autem præmiſſa fidei & concluſio per aliud eſt nota, nempè per revelationem divinam. Hinc axioma Ariſtotelicum: propter quod unumquodque tale, illud magis; præcipuè habet locum in ſcientiis collectis ex propoſitionibus per ſe notis. In Theologia non eſt major certitudo præmiſſæ fidei & concluſionis, quia utraque nititur eodem formali motivo. Sed quid ſi altera præmiſſarum ſit nota per ſe? Reſpondemus nihil officere concluſioni, quia non concurrit ad concluſionem Theologicam per modũ motivi aut rationis formalis, ſed eſt nudum medium vel potiùs conditio, ut appareat conclusionem contineri in ipſa præmiſſa fidei. Hoc neceſſe eſt ſemper cõtingere, quando præmiſſæ nituntur diverſis motivis. Sed oppones. Tamen concluſio ſequitur ſemper

debilio-

debiliorem partem; ergò ſequitur certitudinem propoſitionis naturaliter notæ, quæ eſt debilior certitudine fidei. Dicimus omnino concluſionem ſemper ſequi debiliorem partem in ordine ad intellectū. Negamus autem propoſitioni naturaliter & evidenter notæ intellectum minus firmiter inhærere, quàm per fidem notæ. Hæc enim, eò quòd obſcura eſt, eſto in ſe habeat majorem certitudinem, in ordine tamen ad intellectum, habet debiliorem, & minus moventem. Unde concluſio Theologica rectè ſequitur certitudinem fidei tanquam debiliorem in ordine ad aſſenſum intellectûs. Si legis apud S. Thomam in prologo ſentent. q. 1. a. 2. quæſt. 2. Habitum fidei non acquiri, ſed habitum Theologiæ, meminiſſe debes, cum in Summa ſolidius de hoc diſcurriſſe.

UNICUS THEOLOGI ET CUIUSCUNQUE Chriſtiani ſcopus eſſe debet Deus. D. Thom. q. 1. a. 2. & ſeqq. §. 37.

Quamvis nihil ſit, quod effugiat Theologi conſiderationem, tamen in omnibus ſolum quærit Deum, quod vel ipſum Theologiæ nomen inſinuat. Omnium Deus eſt principium, medium, & finis. *Ex ipſo, per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Ergo hoc quærit Theologus, quomodo ſe Deus habeat ad ſe & alia. Idem facit quidem etiam Metaphyſicus, & propterea meretur nomen Theologi naturalis, tamen non ſub eodem motivo. Rationem naturalem non tranſcendit. At Theologus Chriſtianus mediante revelatione divina pronunciat, quæ humana ratio non capit. Unde Theologia eſt ſcientia omnibus naturalibus ſuperior: imò ſcientia ſcientiarum, & ſapientia; tùm quod modo nobiliore verſetur circa nobiliſſimum objectū, tum quia per altiſſimas cauſſas infallibiles incedit, & judicat de omnibus.

Utrùm autem propterea ſit ſimpliciter dicta ſcientia, & propriè ſubalternata ſcientiæ Dei & Beatorum, ut loquitur S. Thomas hîc, ſemper judicavimus quæſtionem fruſtraneam. Si nomine ſcientiæ intelligis certam & indubitatam cognitionem, Theologia maximè ſcientia eſt, quia per certiſſima fidei principia procedit. Sin tum Ariſtotele intelligas evidentem cognitionem diſcurſivam per cauſſas, Theologia utique ſcientia non eſt, quia caret evidentiâ cognitionis, ut teſtatur ipſemet S. Thomas infra q. 12. a. 13. ad 3. ait enim, fidem deficere à ratione ſcientiæ, in quantum illi deeſt viſio, id eſt evidentia. Ita Analogicè dicitur ſubalternata ſcientiæ Dei & Beatorum. Nam Ariſtoteli vera ſcientia ſubalternata poſcit, ut ſit in eodem ſubjecto cum ſcientia ſubalternante, ut idem intellectus ex principiis ſubalternantis inferat concluſiones ſubalternatæ, quod, ut patet, in Theologia locum non habet. Conſiſtit tamen Analogia in hoc, quod ſicut in ſcientiis propriè ſubalternatis, inferior accipit ſua principia à ſuperiore, ita Theologia, mediante divina revelatione, accipit ſua principia à ſcientia Dei & Beatorum.

Hinc tu facilè concludes, Theologiam in ſe ſimpliciter unum eſſe habitum, ſupernaturalem, à Deo infuſum, formaliter ſimul practicum & ſpeculativum, quod aliis ſcientiis non conceditur: nam ſecundum quod ſub unico motivo divinæ revelationis per ſe tendit in veritates ſpeculativas & practicas de divinis, participat utriuſque formalem denominationem, tamen, teſte S. Doctore hîc, potiùs ſpeculativa quàm practica dicenda eſt, quia veritates ſpeculativæ circa Deum, quas primariò ſcrutatur, ſunt potiores practicis. Tu, qui ante hac Theologiæ ſtudium minus æſtimare ſolebas, hinc diſce, quanta ejus præ omnibus ſit utilitas, neceſſitas, & excellentia.

ETSI PER SE NOTUM, DEUM ESSE; demonſtratur tamen etiam evidenter à poſteriori. §.38.

D. Thom. q. 2. a. 1. 2. 3.

DIXIT *inſipiens in corde ſuo: non eſt Deus*. Pſal. 52. Sapientes è contra omnes fatentur Deum eſſe, quia omnis creatura clamat: *ipſe fecit nos, & non ipſi nos*. Quidam putant, ita per ſe notum eſſe, quod DEUS ſit, ut à nullo, qui apprehendit ſignificationem vocis, negari poſſit, niſi voce tenus. Sed obſtat, quod inſipiens in corde, & non tantùm voce tenus dixerit: *non eſt Deus*. *Dico*, inquit S. Doct. a. 1. *quod hac propoſitio: Deus eſt, quantum in ſe eſt, per ſe nota eſt, quia prædicatum eſt idem cum ſubjecto; Deus eſt enim ſuum eſſe ſed quia nos non ſcimus de Deo, quid eſt, non eſt nobis per ſe nota, ſed indiget demonſtrari per ea, quæ ſunt magis nota quoad nos, & minus nota quoad naturam, ſcilicet per effectus.* Vides etſi notum ſit ex terminis in ſe, Deum eſſe, tamen nobis nõn ita per ſe eſt notum. Ergo nobis demonſtrari poteſt; non à priori, quia DEUS non habet cauſſam ſui eſſe, bene tamen à poſteriori per effectus. Hæc demonſtratio ita eſt obvia naturali lumini, ut vix ab aliquo poſſit ignorari. Hinc quidam Patrum dixerunt notitiam DEI nobis eſſe innatam: quis enim mortalium, dum parum premitur calamitatibus, non ſtatim ſupplices tendit palmas ad aliquod Numen?

Aſpice pulcherrimum ordinem & harmoniam cœleſtium Machinarum, & ordinatas ſublunarium mutationes inde dependentes, conſule tuam rationẽ; num non eſſe debeat aliquis ſapientiſſimus Gubernator, qui excedat omne quod creatum eſt, & tantam molem gubernet? Sola non ſufficit natura; quia cæca eſt, & ſubditur gubernanti cum ratione.

Neſcit

Neſcit intendere finem, & ad eum ordinare media. Deinde oportet eſſe aliquod ens neceſſarium, quod nunquam cœpit eſſe; ſed ſemper fuit, & à quo eſt, quidquid cœpit eſſe: nam ſi omnia forent contingentia, aliquando non fuiſſent, ergo adhuc non eſſent; adeòque nunquam cœpiſſent; quia quod non eſt, non incipit niſi ab ente, quod eſt. Hoc ens neceſſarium dicimus Deum, in quo nullus defectus locum habere poteſt. Sed rogas, quàm ſit certum, Deum eſſe; ſic poſſe demonſtrari? Nobis videtur de fide: nam Sacra Scriptura id ſatis clarè indicat. *Cœli enarrant gloriam Dei.* pſal. 18. *A magnitudine creaturæ cognoſcibiliter poterit creator horum videri.* Sap. 13. *Inviſibilia ipſius à creatura mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* Rom. I. Non loquitur ſcriptura, ut putat Vaſquez, tantum de probabili deductione, ſed de clara & evidente, ita ut ex ipſis creaturis poſſit evidenter videri & conſpici Deum eſſe. Viderint ergo, qui negant, à poſteriori poſſe demonſtrari, Deum eſſe.

§. 19. *DEUS EST ENS SIMPLICISSIMUM.*
D. Thom. q. 3. per 8. art.

NON quid, ſed quid non eſt Deus, datur nobis in hac vita intelligere. Altior eſt Dei quidditas, quàm ut cadat ſub noſtros imperfectos conceptus. Hoc ſcimus, Deum non eſſe aliquid eorum, quod ab ipſo eſt, ſed aliquid melius. Ergo Deus ſine omni compoſitione partium eſt, quia quidquid compoſitum eſt; ab alio eſt. Omne enim compoſitum habet unam partem, vi cujus eſt in potentia ad alteram. Quod in potentia eſt, reduci debet in actum ab eo, quod eſt. Nihil prius eſt Deo, ergo non poteſt eſſe in potentia ad aliud, adeoque implicat eſſe compoſitum. Hinc corpus aut corporeus non eſt, multo minus

habens materiam & formam. Nec componitur ex natura & ſuppoſito ; aut ex eſſentia & exiſtentia, ſicut res creatæ. Ea ſolùm componuntur ex natura & ſuppoſito, item ex eſſentia & exiſtentia, de quorum natura non eſt ſemper ſubſiſtere aut exiſtere. At Deus eſſentialiter exiſtit & ſubſiſtit. Unde non rectè concipitur aliud, quo Deus eſt Deus, & aliud quo exiſtit, vel ſubſiſtit, aut ſuppoſitum eſt. Nulla creatura eâdem entitate formaliter exiſtit, quâ in ſua eſſentia eſt talis creatura. Homo quidem humanitate eſt homo, at humanitas non eſt id, quo formaliter exiſtit ; alioquin foret bona conſequentia : homo eſt habens humanitatem ; ſeu eſt animal rationale, ergo exiſtit. Unde exiſtentia in creaturis ſemper eſt actus diverſus ab ipſa eſſentia, cum qua ut potentia componit realiter. In Deo autem eſt ſimpliciter idem. Et hac de cauſſa Deus dicitur ſuum eſſe, non item creatura. Quomodo creatura non eſſet ſuum eſſe verè & realiter, ſi à parte rei foret penitus idem quod ſua eſſentia ? Aut quomodo non eſſentialiter exiſteret, ſi per ipſam eſſentiam formaliter exiſteret ?

Hinc facile intelligas, cur nec accidentium compoſitio in Deo ſit, quia reſpectu nullius eſt in potentia aut perfectibilis. Tamen quidam fuerunt auſi tribuere illi compoſitionem rationis ex genere & differentia. Sed vani ſunt. Quæſo cum quo conveniat uni vocè in genere ? Eſt ſupra omnem ſubſtantiam, & ſupra omne accidens. Si dicis eum eſſe ſubſtantiam, & in hoc convenire cum ſubſtantiis creatis, analogiam indicas, non univocationem. Utique Deus in ipſa ratione ſubſtantiæ eſt longè perfectior, quàm ſit ulla creatura ? Quomodo igitur in ratione ſubſtantiæ univocè cum creatura conveniet ? Rogo te quæ eſt differentia, per quam Deus trahitur ad certam ſpeciem ?

Si alia

Si alia eſt ab ipſo genere, ergo aliquid concipis in Deo quod eſt perfectibile, adeòque in potentia. Abſit hæc phantaſia. Deus ſe ipſo per ſuam ſubſtantiam differt ab omnibus aliis. Nihil habet commune. Deus eſt ſuum eſſe & nihil aliud eſt ſuum eſſe. Opponis, tamen ipſa exiſtentia creata eſt ſuum eſſe. Diceres aliquid, ſi exiſtentia creata eſſet, acreata exiſtentia non eſt, ſed eſt id, quo aliud eſt. Hinc quid aliud inferas, quàm Deum eſſe ens ſimpliciſſimum, penitus incorporeum, extra omnem compoſitionem; actum puriſſimum ſine omni potentialitate.

Fortè ſuſpicabitur aliquis; eſto Deus ſit ens ſimplex; poterit tamen ut pars venire in compoſitionem cum alio: nam eſſe partem compoſiti, non excludit ſimplicitatem entis. Imò, teſte S. Thoma 3. p. q. 2. a. 4. perſona Dei Filij venit in compoſitionem cum humana natura. Sed & hoc implicat, ſi intelligas Deum poſſe eſſe alicujus compoſiti veram partem. Nam prima cauſſa efficiens quæ ſemper eſt actu, non poteſt eſſe pars ſui effectûs. Non materialis, quia hæc eſt in potentia. Non formalis, quia alioquin eſſet cauſſa ſui ipſius, in tantum enim formalis pars ut ſic eſt, in quantum compoſitum eſt; cauſſæ autem efficienti primæ competit primò eſſe, & non per aliud. Deinde compoſitum foret perfectius Deo, quia omne compoſitum eſt perfectius ſuis partibus ſeorſum ſumptis. S. Thomas in 3. p. dicit compoſitionem perſonæ Divinæ cum humana naturâ non eſſe per modum partium, ut hîc loquimur, ſed per modum numeri: ait enim perſonam Chriſti dici compoſitam, in quantum ſubſiſtit in duabus naturis, quarum neutra ad alteram comparatur ut pars. Et licet perſona divina perficiat humanam naturam ut quoddam formale, tamen hoc non præſtat per modum veræ partis, de cujus natura eſt conſtituere totum ſe perfectius.

Hæc

Hæc ſi vera ſunt, uti ſunt veriſſima, excludunt quoque omnem diſtinctionem formalem Scotiſticam in Deo inter eſſentiam & attributa divina, & attributorum inter ſe. Profectò ſimpliciſſimum non eſt, quod ex pluribus formaliter diſtinctis eſt. Tu dicis ſapientiam Dei, non eſſe ipſam Dei eſſentiam formaliter, ſed tantum eſſe realiter & identicè eandem, quod dicere debes. An non hoc dicendo componis eſſentiam Dei, cum formalitate ſapientiæ Dei? Ergo non ita eſt ſimpliciſſimus, quin adhuc poſſit dari ſimplicius. Ipſa formalitas ſapientiæ Dei non eſt ens rationis, quia ſecundum te ineſt Deo ante operationem rationis, ergo aliquid à parte rei, adeoque vel ipſa Dei eſſentia, vel aliud ab eſſentia. Reſpondes more conſueto, eſſe ipſam eſſentiam realiter, non formaliter, & putas te ſolide reſpondere. Sed petis principium. Si enim ipſa formalitas ſapientiæ realiter eſt idem cum eſſentia divina, per quid differt formaliter? Si dicis per ipſam formalitatem, contra eſt, quod formalitas realiter ſit eadem cum ipſa. Ubi autem eſt eadem res ipſa formalitas, utique illa erunt formaliter eadem? Alioquin idem ſecundum idem eſt formaliter idem, & non idem, nemine cogitante. Eodem modo licet diſcurrere de aliis attributis. Ergo quidquid diſtinctionis extra perſonarum Trinitatem in Deo inveneris, adſcribe ſoli rationi noſtræ, & imperfecto modo concipiendi. Si Deum poſſemus concipere perfecte, ut eſt in ſe, ſtatim intelligeremus, ipſum formaliter eſſe ſuam eſſentiam, ſapientiam, bonitatem, intellectum, & voluntatem, &c. & inter hæc nullam prorſus eſſe differentiam, ſed quia uno conceptu non poſſumus Dei perfectionem comprehendere, hinc ſub alia ratione concipimus illum ſapientem, alia bonum, alia unum, alia trinum, ex quo ſolo provenit omnis diſtinctio inter Dei attributa.

§. 40. *DEUS EST SIMPLICITER PERFECTISSIMUS & optimus.* D. Thom. q.1. a.6.

Perfectum eſt quodlibet in ſuo genere, teſte Ariſtotele, 5. Methaphyſ. quod in nullo deficit. Ergo ſimpliciter erit perfectiſſimum, ita ut perfectius nihil cogitari poſſit, quod habet, quidquid perfectionis in quovis genere reperiri poteſt. Taliter perfectiſſimum agnoſcimus Deum. Jam diximus, in Deo nihil potentialitatis eſſe, alioquin eſſet perfectibilis ab alio, & eo ipſo non eſſet Deus, aut primum principium omnis entis. Ergo quoad omnia eſt penitus actu, adeoque in nullo deficit. Oportet autem omnium rerum etiam poſſibilium perfectiones in Deo tanquam in prima cauſſa præexiſtere: non enim exit à cauſſa effectus, quem cauſſa in ſe non continet. Perfectiones ex S. Anſelmo diſtinguunt Theologi in *ſimpliciter tales*, & in *ſecundum quid tales*. Priores vocant, quæ ſunt in unoquoque meliores ipſæ, quam non ipſæ; id eſt, quæ in ſuo formali conceptu nihil dicant imperfectionis. Poſteriores vocant, quæ non in unoquoque ſunt meliores ipſæ quam non ipſæ; id eſt, quæ formaliter non habentur ſine imperfectione, & excludunt perfectiones ſe nobiliores. Utraque ſunt in Deo, priores formaliter, poſteriores eminenter: Sic Deus formaliter eſt Spiritus, ſubſtantia, ſapiens, bonus, juſtus, & quidquid nihil imperfectionis dicit. Formaliter autem corporeus, quantus, calidus, coloratus, & [illegible] eſſe nequit, [illegible] in his imp[illegible] aliquid imperfectionis, materialitatis, & potentialitatis: [illegible] tamen [illegible] ut eminenter ſit, [illegible] quia in ipſo tanquam cauſſa continentur. Unde [illegible] nihil eſt perfectionis ne quidem cogitabile, quod Deo [illegible] & quidem perfectiſſimo competat, [illegible]

quæ

quæ extra Deum ſunt vitæ expertia, in Deo illa vita ſunt, juxta illud Joan. 1. *quod factum eſt, in ipſo vita erat.*

Et quid inde conſequens eſt, niſi Deum, ſicut ſimpliciter in omni genere entis eſt perfectiſſimus, ita ſimpliciter eſſe optimum? Bonitas enim ſequitur perfectionem. Bonum eſt quod omnia appetunt; perfectionem autem omnia appetunt, & imperfectionem fugiunt. Qui ergo ſimpliciter perfectiſſimus, ſimpliciter eſt optimus. Et hoc competit Deo per ſuam eſſentiam, nec poteſt communicare alteri a ſe. Cætera extra Deum ſunt limitatæ naturæ in certo genere entis, ſicut ergo illis ſumma perfectio in omni genere entis non poteſt competere, ita nec ſumma bonitas. Hoc ſenſu dixit Chriſtus Luc. 18. *nemo bonus, niſi ſolus Deus*, ſcilicet per eſſentiam: aliæ vero creaturæ & ſancti per participationem, nam qui in gratiâ Dei ſunt, ex illius amore (qui conſiſtit in obſervatione mandatorum Dei, ob quem nimirùm ſummè amatum ſtudemus & conamur illa obſervare) divinæ ſunt conſortes naturæ, juxta definitionem gratiæ ab Apoſtolo Paulo traditam. Vide fuſiùs infra §. 48.

DEUS EST INFINITUS, VIRTUTE, LOCO, & tempore. D. Thom. q. 7.8. & ſeqq. §. 41

SI Deus in omni genere eſt perfectiſſimus, ergo in nullo limitatus eſt. Quod declaratur, ita eſt in uno genere, ut non ſit in altero. Deus eſt ſupra omne genus. Deinde quidquid limitatur, habet eſſe receptum ab alio; Deus eſt ſuum eſſe, ergo ſine limite, adeoque infinitus in eſſendo. Quidquid ergo virtutis ac perfectionis concipere poteris, hoc ipſum eſt Deus, & amplius.

Rectè ergò pronunciavit Regius Pſaltes : *magnus Dominus & magnitudinis ejus non eſt finis* Pſalm. 144. Non magnus mole quantitatis, ſed virtute eſſentiæ.

Sed fortè, qui a nullo intra ſe limitari poteſt, limitabitur ab aliquo externo? Videtur ergo concludi loco. Sed quis locus eum concludat, *quem cœli cœlorum capere non poſſunt* 3. Reg. 8.? Immenſus eſt, non ergo locus illum capit. Hic plurimi Recentiores, ut Deum ob [illegible] conſulant, fingunt eum eſſe præſentem infinito ſpatio imaginario extra cœlum; ſed verè fingunt. Id quod non eſt, fingunt eſſe. Extra cœlum nihil eſt, & tamen ibi imaginantur ſpatium infinitum. Dicunt etſi nihil ſit poſitivum, tamen eſſe aliquid negativum. Profectò neſciunt, quid dicant. Si aliquid negativum eſt, ergo non eſt, atque adeo nihil. Tamen, inquiunt, cæcitas & tenebræ ſunt aliquid negativum, & non omninò nihil. Reſpondemus, eſſe aliquid ratione ſubjecti, quod connotant, non ratione negationis. Sed nec eo modo ſpatium imaginarium eſt aliquid. Oſtende ſubjectum reale. Dicunt; ibi eſſe veram diſtantiam & capacitatem recipiendi corpora. Profectò non ibi, ſed in ipſorum phantaſia ſunt. Diſtantia non eſt, ubi quantum non eſt; quantum non eſt ſine reali corpore. Capacitas hæc non poteſt fundari niſi in quanto. Subtrahe tuam imaginationem, & extra cœlum invenies purum putum nihil. Dicere jam DEUM in nihilo eſſe, eſt dicere DEUM nullibi eſſe. Nam alicubi eſſe, eſt & ipſum eſſe, & aliquid juxta ſe habere, teſte Ariſtotele. Audi Patrem Tertull. l. 5. contra Prax. 5. ad quæſtionem [illegible] DEUS ante mundum conditum erat, reſpondentem: *ante omnia DEUS erat ſolus, qui ſibi* [illegible] *& locus & omnia.* S. Auguſt. in Pſalm. [illegible] *Antequàm DEUS faceret Cœlum & Terram* [illegible]

habi-

habitabat? apud ſe habitabat, & apud ſe DEUS eſt. Cur non dixit eum habitaſſe in ſpatio imaginario? Rectè proinde ſtultum judicavit S. Bonaventura, opinari DEUM eſſe in nihilo. Colliges ex communi verſu, ubi DEUS ante mundum erat.

Dic ubi tunc eſſet, cùm præter eum nihil eſſet?
Tunc, ubi nunc, in ſe, quoniam ſibi ſufficit ipſe.

DEUM igitur immenſum cogita, non quia occupat immenſum ſpatium, ſed quia nullum poteſt dari tam magnum, quin majus adhuc ſua virtute implere poſſit. Hoc ſenſu cœli cœlorum ipſum non capiunt. Et cœlo excelſior eſt, non actu ſed virtute. DEUS tantùm ibi actu eſt, ubi creatura eſt. Sed in hoc virtus ejus non limitatur, quin poſſit eſſe in infinitis locis, ſi creaturæ ibi eſſent. Et ex hoc immenſus eſt. Eodem modo dic, non pertinere ad immenſitatem DEI, ut ſit in vacuo, ſi daretur, quia vacuum ratione ſpatij æquè nihil eſt, atque ſpatium imaginarium extra mundum. Sed incredibile videtur Tannero d. 2. qu. 4. dub. 4. DEUM intra vacuum nullo modo exiſtere, ſed penitus excludi ab illo ſpatio. Quæro quo modo exiſtat intra, ſi nullum eſt intra. Saltem, inquis, ibi eſt in ſe. Sed quid eſt hoc dicere, exiſtit ibi in ſe? Semper exiſtit in ſe; eo ipſo tamen non exiſtit ibi, ubi nulla res eſt. Exiſtere alicubi, non eſt quomodocunque exiſtere, ſed exiſtere cum alio, ſeu habere præſentiam ad aliud. Præſentia DEI ad creaturas dicit relationem non in DEO, ſed in creaturis realiter exiſtentem, & finitur cum creaturis. Et hac ratione DEUS à vacuo excluditur, quia creatura non eſt, quod non imperfectionis, ſed perfectionis eſt, & nihilominus ubique eſt, quia in omni creatura eſt.

Sed in hac multi offendunt ; unde probent, quod Deus ubique ſit ; Vaſquez d. 28. num. 13. vult hoc efficaciter probari ex infinitate Dei in eſſendo. Sed contra: Deus fuit infinitus in eſſendo, quando nullibi fuit: Deus non ſemper fuit ubique, quia non ſemper fuerunt creaturæ, quarum intuitu dicitur ubique, & tamen ſemper fuit infinitus in eſſendo. Eodem modo quorundam probatio non eſt bona: Deus eſt immenſus, ergo eſt ubique. Ab æterno fuit immenſus, & tamen ab æterno non fuit ubique. Immenſum eſſe non eſt, ubique eſſe, ſed poſſe ubique eſſe. Creaturis fit Deus præſens in tempore, quando incipiunt eſſe. Noſtro judicio hoc omnium optime probat S. Thomas qu. 8. a. 1. ex intima operatione Dei in omnes creaturas. *Dicendum*, inquit, *quod DEVS eſt in omnibus rebus, non quidem ſicut pars eſſentiæ, vel ſicut accidens, ſed ſicut agens adeſt ei, in quod agit. Oportet enim omne agens conjungi ei, in quod immediatè agit, & ſua virtute illud contingere. Cum autem DEVS ſit ipſum eſſe per eſſentiam, oportet quod eſſe creatum ſit proprius effectus ejus. Hunc autem effectum cauſſat DEVS in rebus non ſolùm, quando primò eſſe incipiunt, ſed quamdiu in eſſe conſervantur; ſicut lumen cauſſatur in aere à ſole, quamdiu aer illuminatus manet. Quamdiu igitur res habet eſſe, tamdiu oportet, quod DEVS adſit ei ſecundum modum, quo eſſe habet. Eſſe autem eſt illud, quod eſt magis intimum cuilibet, & quod profundius omnibus ineſt, cùm ſit formale reſpectu omnium, quæ in re ſunt. Vnde oportet, quod DEVS ſit in omnibus rebus, & intimè.* Vaſquez d. 28. nu. 13. negat, hac ratione S. Thomam aliquid efficaciter probare. Sed debuiſſet advertere, Sacram Scripturam quoque & Patres ex operatione divina in creaturis probare Dei præſentiam in omnibus. *Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitavero in*

extremis

extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me. Psal. 138. *Non longè abeſt ab unoquoque noſtrum. in ipſo enim vivimus, movemur, & ſumus* Act. 17. Super quod ait S. Ambroſius: *DEUS unus ſemper ubique totus eſt. omnia vivificans, movens, ac gubernans.* Ecce cur Deus ſit omnibus præſens, refertur in ipſam actionem Dei in res. Et merito: ceſſet enim Dei conſervatio, jam non erit amplius res, nec illi Deus præſens. Non prius eſt, Deum eſſe præſentem rei, quam in illam operetur, ſed prior eſt operatio, & relatio præſentiæ conſequitur ut effectus. Sicut corporalia ſunt in loco per contactum quantitatis formalis, ita ſpiritualia, cujusmodi eſt Deus, ſunt in loco per contactum quantitatis ſpiritualis, qui eſt ipſa operatio in rem. Opponit Vaſquez, ſicut Sol illuminat ibi, ubi non eſt ejus ſubſtantia, ſic Deus poſſet in aliquo particulari loco manere, & virtus ejus continuo quodam effectu contingi, ſi alias immenſitati ejus id non repugnaret. Reſpondetur non eſſe paritatem. Virtus Solis, quæ eſt lumen, poteſt eſſe, ubi Sol non eſt, at virtus Dei non poteſt eſſe, ubi Deus non eſt. Certe hæc virtus non erit creata, alias indigeret virtute alia conſervante, & hæc iterum aliâ, & ſic in infinitum. Ergo erit increata, adeoque Deus. Vides ergo Deum non poſſe agere in aliquid, niſi ſit illi immediatè præſens. Ergo negabimus Deo, inquies, quod creaturæ concedimus? Omnino negamus, quia imperfectionis eſt, agere aliquid ibi, ubi non eſt. Hoc inde provenit, quia aliquid non eſt ipſa virtus agendi, ſed cogitur diſtincta virtute agere. Deus eſt ipſa virtus agendi, nec poteſt ſuam divinam virtutem a ſe ablegare.

Recte igitur S. Gregorius dixit, Deum eſſe ubique per eſſentiam, præſentiam, & potentiam, & quidem per potentiam, quia omnia ſua virtute gubernat, per præſentiam, quia omnibus præſens ſeu

intuitui conſpectu, per eſſentiam, quia per ſubſtantiam ſuam vi immediatæ operationis omnibus rebus adeſt. Unde error eſt quorundam Hæreticorum, DEUM habere ſubſtantiam ſuam tantum præſentem cœlo, & cæteris adeſſe per ſolam potentiam. *Cœlum & terram ego impleo*, ait DEUS Jere. 23. *præſente potentia*, ait S. Aug. 7. civit. 30. *non abſente natura*. DEUS ergo ubique eſt, non quaſi loco concludatur, ſed quia ipſe concludit omnia. Unde non propriè eſt in loco, quia loco non commenſuratur, ſed eſt ibi tanquam locum continens, & ſua immenſitate, quâ poteſt adhuc eſſe in locis infinitis, omnia loca in infinitum excedens, quod non conceditur alteri creaturæ.

Sed fortè inveniemus terminum DEO in tempore? cùm enim tempus non ſemper fuerit, utique aliquo tempore DEUS includitur. Verùm DEUS nihil cum tempore. Æternus eſt, extra omne tempus ille. Tempus eſt numerus motûs ſecundum prius & poſterius. In DEO nullus motus, nulla prioritas. Immutabilis eſt, ſemper eodem modo ſe habens. *Ego DEUS & non mutor*. Malach. 3. *Apud quem non eſt transmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio*. Jacob. 1. DEUS ergo nullo poteſt tempore concludi. Quod in tempore eſt, mutabile eſt, quod mutabile, in potentia; DEUS eſt puriſſimus actus, qui nunquam cœpit, ſed ſemper fuit, & eſt, & erit idem. Æternitas ſola eſt menſura durationis divinæ, quæ definitur: interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio. Nihil hic prius & poſterius, ut in tempore. Hinc facile perſpicies, cur non poſſit eſſe, niſi unus DEUS. Quia infinitum eſſe ſecundum virtutem, locum, & tempus, imo ſecundum omnes perfectiones cogitabiles, non cadit in plures. Si enim eſſent plures Dij, jam eo ipſo uni deeſſet, quod haberet alter, alioquin ab illo non diſtinguerentur.

DEUS

DEVS OCVLIS INVISIBILIS, INTELlectui incomprehenſibilis, ore ineffabilis, poteſt tamen ab intellectu creato videri, ut in ſe eſt. D. Thom. q 12. & ſeq § 42

OCULI corporei, & intellectus dicuntur videre ſua objecta. Oculi non poſſunt ferri extra corpora; proinde [illegible] Deum videri oculis corporeis, cum ſit merus ſpiritus. Negare Deum poſſe ab intellectu creato videri, ut in ſe eſt, hæreſis eſt, contra illud S. Joan 1. c. 3. *Videbimus eum, ſicuti eſt.* Sed & ratio naturalis id demonſtrat, quidquid neget Tannerus cum multis d. 2. q. 6. dub. 1. *Ineſt homini naturale deſiderium cognoſcendi cauſſam,* inquit S. D. q 12. a. 1. *cum intuetur effectum, & ex hoc admiratio in hominibus conſurgit.* Ex naturali deſiderio videndi Creatorem, cùm cernitur creatura, evidenter ſequitur, fieri poſſe, ut videatur Creator: deſiderium enim hoc non eſt inane, nec nititur falſa imaginatione, ſed clara creaturarum viſione. Non propterea viſio Dei erit homini naturalis; nam [illegible] ſolum demonſtrat, Deum eſſe viſibilem; utrum viribus naturæ, vel gratiæ ſit viſibilis, non demonſtrat.

Sed quomodo DEus eſt viſibilis, ut in ſe eſt? [illegible] quæſtio. Hic multa Doctorum diſſidia. Placet quod pronunciat S. Thomas a. 2. *Dicere Deum per ſimilitudinem videri, eſt dicere divinam eſſentiam non videri.* Loquitur de ſimilitudine ex parte objecti. Noſter [illegible] intellectus, cùm rem ipſam ſibi conjungere non poteſt, ſibi eum cum ſimilitudine rei, & ſic eam cognoſcit. [illegible] ſimilitudo eſt triplex. Objectiva, [illegible] res in ſua imagine, alia cognitione cognita videtur. Impreſſa, quæ [illegible] cognoſcitur, tamen a objecto

mittitur ad intellectum ut ea mediante exeat in cognitionem rei. Expreſſa, quam format ipſe intellectus de objecto, ab imagine impreſſa ejusdem, ut principio determinatus, quæ dicitur etiam ſpecies intelligibilis expreſſa, verbum mentis, conceptus, & terminus intellectionis. Hanc ad minimùm plerique Recentiores ad viſionem Dei exigunt. S. Thomas noſtro judicio, & rectè quidem, omnem tanquam impoſſibilem rejicit. Vel hoc quoque, vel nihil probant ejus rationes. *Per ſpeciem corporis non poteſt cognoſci eſſentia rei incorporea; multò igitur minus per ſpeciem creatam quamcumque poteſt eſſentia Dei videri.* Sanè efficax ratio. Nam ſuperiora, teſte S. Dionyſio, nullo modo poſſunt cognoſci per ſimilitudines inferioris ordinis rerum. Tamen, inquit Vaſquez, per ſpecies, quæ ſunt ordinis accidentalis videmus ſubſtantias? Sed ſcire debet, ſubſtantiam & accidentia proportionata pertinere ad eundem ordinem. Diverſum ordinem conſtituunt ipſæ ſubſtantiæ, in quantum una eſt penitus ſpiritualis, altera partim ſpiritualis, partim corporalis, tertia penitus corporalis.

Audi ulterius: *Eſſentia Dei eſt ipſum eſſe*, inquit S. D. *quod nulli formæ creatæ competere poteſt. Non poteſt igitur aliqua forma creata eſſe ſimilitudo repræſentans videnti Dei eſſentiam.* An non etiam ſpecies expreſſa eſt forma creata? Sed negant conſequentiam, quamvis gratis. Certè ſi non in genere naturæ, ſaltem in genere intelligibilium ſpecies repræſentans debet eſſe id, quod repræſentat, alioquin non eſt ſufficiens imago. Dicere autem ullam ſpeciem creatam in genere intelligibili eſſe ſuum eſſe, ſicut Deus eſt ſuum eſſe in genere naturæ, fingere eſt. Adhuc efficacius urget S. Thomas. *Divina eſſentia eſt aliquid incircumſcriptum, continens in ſe ſupereminenter, quidquid poteſt ſignificari, vel intelligi ab intellectu creato.*

Et

in hoc nullo modo per aliquam ſpeciem creatam repræſentari poteſt, quia omnis forma creata eſt determinata ſecundum aliquam rationem vel ſapientiæ vel virtutis, vel ipſius eſſe, vel alicujus hujuſmodi. Quid dicis ad hoc? Iterum negas conſequentiam; quia eſto ſpecies creata, inquis, ſit determinata in genere eſſendi, poteſt tamen in genere repræſentandi eſſe indeterminata, & infinita. Diceres aliquid, ſi probares. Vis repræſentandi non ex inſtitutione voluntaria, ſed ex natura rei ineſt ſpeciebus intelligibilibus, ergo non poteſt excedere limites ſuæ naturæ, & eſſe infinita.

Itaque aliter de Viſione Dei, quâ intellectus creatus videt eſſentiam Dei, ſentiendum eſt, quam de quacunque alia intellectione creata. Omnis alia noſtra intellectio immediate terminatur ad verbum mentis, quod eſt ſimilitudo expreſſa objecti; quia nullum objectum creatum ſecundum ſuum eſſe poteſt perfecte fieri unum in genere intelligibili cum intellectu; opus proinde habet ſimilitudine loco ſui, at Deus, cùm ſit ipſum ſuum eſſe, etiam in genere intelligibili, poteſt immediatè ſe unire intellectui, & eſſe ipſi principium, & terminus intelligendi. Non dicimus intellectum in hoc nihil agere, ſed verè elicit actum intellectionis, qui tamen non eſt proprie conceptus, vel verbum mentis, vel ſimilitudo Dei, ſed ſtabilis & firma Dei, ut in ſe eſt, intellectualis apprehenſio, ſeu poſſeſſio. Actus hic ſingularis eſt, & penitus ineffabilis, cui in natura ſimilis non datur.

Ad tam altum actum vires naturæ non ſufficiunt, quia intelligibile infinito modo excedit noſtrum intellectum. Opus eſt ergo altiori lumine gratiæ, quod vocant lumen gloriæ, quodque eſt quædam permanens qualitas ſupernaturalis, faciens intellectum potentem ad Deum, ut in ſe eſt, videndum

ſaltem

Lumen creatum, inquit S. D. q. 12. a. 5. ad 1. *eſt neceſſarium ad videndam* DEI *eſſentiam*, *non quod per hoc lumen* DEI *eſſentia intelligibilis fiat quæ ſecundum ſe eſt intelligibilis; ſed ad hoc, quod intellectus fiat potens ad intelligendum, per modum quo potentia fit potentior ad operandum per habitum.* Actus viſionis DEI non paſſim à lumine, partim ab intellectu eſt, ut multi ſibi imaginantur, ſed totus a lumine, & totus ab intellectu per modum unius principij. Intellectus lumine gloriæ confortatus, immediatè influit in actum viſionis penitus ſupernaturalem. Natura ſic nihil ſeorſim operatur, ſed elevata à lumine gloriæ, cum quo conſtituit unum principium activum, ſicut actus charitatis totus eſt à voluntate, habitu ſupernaturali informata. Non igitur, ut putat Suarez, intellectus ſolum per modum inſtrumenti concurrit ad DEI viſionem. Nihil vires naturales de ſuo addunt, ſed tantum efficiunt, ad quod à lumine gloriæ elevantur. Unde cum æquali lumine gloriæ habens intellectum naturaliter perfectiorem, melius aut perfectius non videt DEUM, quàm habens intellectum naturaliter imperfectiorem, ſecùs quàm videtur Scoto 3. d. 13. qu. 3. & 4. Ex ſolo lumine gloriæ majore vel minore evadit viſio perfectior aut minus perfecta; alioquin doctior eo ipſo evaderet beatior, quàm Ruſticus, etſi non haberet majora merita.

DEUS ergo ab intellectu creato viſibilis eſt, non tamen comprehenſibilis. Hinc Jerem. 23. dicitur: *cogitatu incomprehenſibilis.* Et Apoſt. Rom. 11. vocat *ejus judicia incomprehenſibilia.* Sed quo ſenſu incomprehenſibilis? Certe non eo ſenſu, quo comprehenſio ſumitur pro aſſecutione. Nam hac ratione monet Apoſtolus, ut comprehendamus: *Sic currite, ut comprehendatis.* 1. Cor 9. S. Thomas, qu. 12. a. 7. ideo dicit Deum incomprehenſibilem,

quia

ſpici a nulla creatura poteſtita perfectè videri, ſicut eſt viſibilis, aut cognoſcibilis: quod veriſſimum. Deus enim eſt infinitè cognoſcibilis, quia infinitum ens eſt; nullus autem intellectus creatus poteſt Deum attingere cognitione infinita. Opponit Vaſquez, ſecundum S. Auguſtinum id comprehendi, quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem. Manifeſtum eſt autem nihil Dei latere videntem Deum; totus enim videtur, cum ſit ens ſimpliciſſimum. Verùm quo ſenſu intelligat hoc S. Auguſtinus, colligitur ex verbis ſubſequentibus. *aut cujus fines circumſpici, vel circumſcribi poſſunt.* Quaſi dicat; illud comprehendi, quod ita videtur, ut non quomodocunque nihil ejus lateat videntem, ſed ſic, ut cognitione ſua circumſcribat rem viſam. *Tunc autem*, inquit S. Thomas a. 1 ad 2 *fines alicujus circumſpiciuntur, quando ad finem in modo cognoſcendi illam rem pervenitur.* Videatur igitur totus Deus à Beatis, ita ut nihil ejus lateat videntem, tamen totaliter videri non poteſt, ut loquitur S. Thomas, nullus enim intellectus creatus poteſt eum cognoſcere tanta cognitione, quanta in ſe eſt cognoſcibilis.

Hinc a. 8 pulchrè concludit S. D. nullum poſſe in Deo videre omnes creaturas poſſibiles, alioquin comprehenderet Deum. Nam ille ſolum videt omnia, quæ cauſſa facere poteſt, qui cauſſam comprehendit. Eſt quidem Deus inſtar ſpeculi, in quo relucent omnes poſſibiles creaturæ, ſed nemo videbit omnia in ſpeculo quod ſpeculum ſua viſione non comprehendit. Quo quilibet majus participat lumen gloriæ, eo plures videbit in Deo creaturas, non tamen omnes etiam poſſibiles. Hinc cum Scotiſtis non dicimus, aliqua eorum quæ in Deo ſunt formaliter, poſſe latere videntem. Cum enim Deus ſit ens ſimpliciſſimum, totus quoad omnia ſua videtur, vel nihil videtur. Hinc implicat videri unam perfectionem Dei, non viſâ aliâ, aut videri non omnia Dei decreta formalia.

Verùm

Verum eſt, videntem latere poteſt terminus de-
cretorum Dei, quia eſt aliquid creatum, non tam [illegible] ipſum decretum, quod formaliter eſt [illegible] Videns Deum, non diverſa, ſed eadem viſione videt Deum tanquam objectum primarium, & creaturas tanquam ſecundarium. Eadem Dei eſſentia [illegible] Deum & creaturas repræſentat, quidem eo plures quo perfectius videtur.

Denique facile ex his capias, quomodo Deus etiam ore ſit ineffabilis. Nos nominamus Deum hic ex creaturis; ac nulla creatura poteſt exprimere Deum ut in ſe eſt, multò minus aliquod vocabulum. Sed nec ibi proprio nomine eſt nominabilis. Nomina ſunt ſigna conceptuum, quos loquens aperit audienti. Beati imprimis non poſſunt de Deo, ut in ſe eſt, formare conceptum; deinde neminem latet alterius viſio, quâ videt Deum. Ergò non poteſt ibi habere locum ullum nomen, quod beatis ſignificet eſſentiam Dei ut in ſe eſt. Vide S. Thomam qu. 13.

§. 43. *DEVS SCIT OMNIA IN SE [illegible] eſſentia divina.*

q. 14.

DEus, ſicut eſt ſuum eſſe, ita ſuum intelligere, ſuum ſcire; ergò ſicut illi non eſt limitatum eſſe, ita nec ſcire. Infinitæ ſcientiæ & ſapientiæ eſt. Nihil ſcibile eſt, quod prætereat ſcientiæ aciem. Hinc merito exclamat Apoſtolus Rom. [illegible] *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei!* Cognoſcit ſe, in quantum cognoſcibilis eſt, ſcilicet modo infinito, adeoque ſe comprehendit. Cognoſcit & omnia alia a ſe, non [illegible] tiones communes, ſed ſingulares quoque & [illegible] differentias rerum. *Ipſe fines mundi [illegible]* Job [illegible] 8. *Omnia ſunt nuda & aperta oculis ejus.* Heb. [illegible]

[illegible]

Ratio videndi omnia eſt ipſa ſua eſſentia. Manifeſtiſſimè relucet omnia in ſua propria natura, etiam ſolùm poſſibilia, quia continet omnia. Videt imprimis omnia in ſua eſſentia ut objecto cognito, quia eſt perfecta omnium imago. II. ut in cauſſa, quidquid neget Vaſquez: *quia ſic videntur aliqua in DEO*, ait S. D. q. 12. a. 8. *ſecundum quod ſunt in ipſo, omnia autem alia ſunt in DEO, ſicut effectus ſunt virtute in ſua cauſa.* III. ut in Idea: nam *Idea eſt forma rei*, inquit S. Thom. q. 15. a. 1. *in mente intelligentis exiſtens ut intellecta.* Ergò cùm eſſentia DEI ſit forma omnium rerum à DEO intellecta in ſeipſo, utique per modum Ideæ omnia repræſentat, quamvis hoc multi negent. Denique ut in ſpecie expreſſa intelligibili: quod enim nobis eſt conceptus, hoc DEO eſt ſua eſſentia, forma intelligibilis clarè exprimens omnium rerum naturas.

S. Thomas Scientiam Dei facit duplicem. *Vna eſt*, inquit 3. d. 14. q. un. a. 2. *quæ dicitur viſionis, per quam videt Deus præſentia omnia, quæ ſunt, erunt & fuerunt. Alia dicitur ſimplicis intelligentiæ, per quam non ſolùm illa ſcit, ſed etiam omnia, quæ poteſt facere. Scientia ſimplicis notitiæ*, inquit q. 2. de verit. a. 9. ad 2. *& ſcientia viſionis nullam differentiam important in Deo ex parte ſcientis, ſed ſolum ex parte rei ſcitæ: dicitur enim ſcientia viſionis in Deo ad ſimilitudinem viſus corporalis, qui res extra ſe poſitas intuetur. Vnde per ſcientiam viſionis Deus ſcire non dicitur, niſi quæ ſunt extra ipſum, quæ ſunt vel præſentia, vel præterita, vel futura. Sed ſcientia ſimplicis notitiæ etiam eorũ, quæ nec ſunt, nec erunt, nec fuerunt: nec alio modo ſcit Deus iſta, & illa.* Meminit quidem hac quæſt. a. 8. Sanctus Doctor etiam ſcientiæ approbationis, ſed non diſtinguit à ſcientia viſionis; nam ordo voluntatis ad res ſcitas producendas, quem addit ſcientia approbationis ſupra ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, teſte S. Doct. qu. 3. de verit. a. 3. ad 8

eſt

eſt extra genus notitiæ. Unde novam rationem ſcientiæ non ponit. Et quia ſecum fert rerum exiſtentiam, cum ſcientia viſionis coincidit. Unde extra has ſcientias alia in Deo vix cogitanda eſt. Sed quæritur num ſcientiarum eſt rerum cauſſa? Nam ſcientiam Dei cauſſare, notum eſt ex S. Scriptura Proverb. [illegible] *Omnia in ſapientia feciſti.* Nos ex mente S. Thomæ contra plurimos Recentiores Vaſquezium, Suarezium, Molinam, Tannerum & alios, arbitramur rerum cauſſam eſſe ſcientiam viſionis. comparatur enim ad res, ut ſcientia artificis ad artificiata. Ergo ex ſua parte ponit rerum exiſtentias. Cognoſcere id, quod exiſtit, ſcientiæ viſionis eſt: cognoſcere autem idem, ut poteſt exiſtere, ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ eſt: ſed vi hujus non ponitur exiſtentia, ergo vi ſcientiæ viſionis. Scientia rerum cauſſativa eſt libera; ita enim cauſſat res, ut poſſet non cauſſare. Scientia ſimplicis intelligentiæ non eſt libera, eo ipſo, quia verſatur circa poſſibilia, quæ non poſſunt non eſſe poſſibilia. At ſcientia viſionis exiſtentia tantùm conſiderat, quæ poſſunt eſſe & non eſſe. Deo non prius eſt eſſe rem, & ab eo videri, ſed videndo cauſſat. Si nobis non credis, crede Magno Gregorio 20. Moral. 23. *Quæ ſunt, non ab æternitate ejus ideo videntur, quia ſunt, ſed ideo ſunt, quia videntur.* Item 6. Moral. 32. *Non exiſtentia videndo creat, exiſtentia videndo continet.* Ita S. Auguſtinus. S. Anſelmus & alij ſunt intelligendi, quando dicunt; *DEVS ſuas creaturas non quia ſunt, ideo novit, ſed quia novit, ideo ſunt.* Non ſatisfacis dicendo, hæc eſſe vera de ſcientia ſimplicis intelligentiæ: nam hâc omnia novit Deus, etiam poſſibilia; & tamen eo ipſo non cauſſantur. Oportet, inquis, ut interveniat decretum divinæ voluntatis, quo Deus alia vult, & alia non vult eſſe. Sed non advertis, ipſam ſcientiam ſimplicis intelligentiæ eo ipſo tranſire in ſcientiam viſionis,

poſito

poſito enim decreto voluntatis de exiſtentia rerum; eo ipſo ſcientia operatur res, & ſic viſionis eſt, quia exiſtentium eſt.

Verùm opponit Tannerus Origenem in Epiſt: ad Romanos. *Non propterea aliquid erit*, inquit, *quia id ſcit Deus futurum, ſed quia futurum eſt, ideò ſcitur à Deo antequàm fiat.* Ita S. Hieronymus, S. Juſtinus & quidam alij loquuntur. Sed opponimus illis jam citatos SS Auguſtinum, Gregorium, Anſelmum & alios. Deinde S. Thomas. a. 8. ad 1. reſpondet, Origenem (conſequenter & alios) loqui ſolùm de cauſſa conſequentiæ, non de cauſſa eſſendi; *ſequitur enim*, inquit, *ſi aliqua ſunt futura, quod Deus ea praſcierit; non tamen res futura ſunt cauſſa, quòd Deus ea ſciat.* Hæc reſpoſio Tannero non ſatisfacit: *nam hac ratione*, inquit, *etiam dici poſſet, ideo futurum peccatum, quia Deus praſcivit, quod nemo dixerit.* Sed ſcire deberet, Deum non præſcire peccata in ſe, ſicut nec alia non entia, ſed in jis, quibus inſunt. Ex hoc ergo ſcit Deus peccata, quia Deus ſuâ ſcientiâ eſt cauſſa hominum, quibus peccata inſunt. Cauſſa tamen peccatorum non eſt, quia non ſequuntur ad actum, in quantum eſt à Deo, ſed in quantum eſt à libero arbitrio hominis contra rationem operantis: Opponit ulterius, Patres abſolutè dicere, non ideo eſſe rem, quia Deus novit, quod non poteſt intelligi niſi de ſcientia viſionis. Dicimus, ex mente S. Thomæ, nullam ſcientiam Dei ſine decreto efficaci voluntatis eſſe rerum cauſſam, & hoc velle citatos Patres: ſed accedat decretum, tunc ſcientia non ſimplicis intelligentiæ, ſed viſionis erit cauſſa, niſi illam voces cauſſam in actu primo, quia verſatur circa ea quæ fieri poſſunt, ut tamen in actu ſecundo ſit cauſſa, fieri non poteſt, niſi induat rationem ſcientiæ viſionis.

* * *

§.44. *DEVS COGNOSCIT FVTVRA CONTIN-gentia in decreto ſuæ voluntatis.*

q. 14. a. 13.

NEMO negare poteſt, DEUM cognoſcere futura omnia contingentia, tum quia eſt infinitæ ſcientiæ, tum quòd S. Scriptura id ſatis clare ſignificet. Hinc Matth. 11. dixit Chriſtus: *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida; quia ſi in Tyro & Sidone facta eſſent virtutes, quæ in te facta ſunt, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent*. Sed quomodo ſcit? Non per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ: quia hæc non eſt exiſtentium; ſed contingentia futura; eo ipſo quia ponuntur futura, important exiſtentiam, ſaltem ſub conditione. Non per ſcientiam viſionis; quia ſolùm eſt abſolutè exiſtentium, conditionata autem futura contingentia nunquam abſolutè exiſtent, niſi ponatur conditio, quæ tamen ſæpè non ponitur. Niſi hîc cum Recentioribus ſtatuas mediam ſcientiam occidiſti. Si opponas, tamen Patres aut antiquos Theologos mediæ ſcientiæ non meminiſſe, reponunt antiquos rem non ſatis ponderaſſe. Vapulat igitur ab iſtis tota antiquitas. Sed nos antiquam veritatem præferamus novæ: Dicimus. DEUM omnia futura contingentia cognoſcere ſcientia viſionis, eo ipſo quia dicunt exiſtentiam vel abſolutè, vel conditionatè futuram.

Sed examinemus melius ſcientiam mediam, Vel DEUS hac ſcientiâ ſcit omnia futura contingentia, antequàm velit ea vel abſolutè vel ſub conditione fieri, vel poſtquàm velit. Si poſterius, erit ſcientia libera, & eadem cum ſcientia viſionis. Si prius, ut pleraque videntur dicere, aperitur janua ingenti difficultati. Si enim nihil poteſt fieri, niſi ipſe velit, quomodo videt aliquid futurum, antequàm ipſe velit fieri? Scientiâ intelligentiæ cognoſcit quidem

Quidem Deus omnia ante ſuum decretum, ſed cognoſcit tantùm, ut poſſibilia fieri, non autem ut futûra: quia impoſſibile eſt futurum, quod Deus non vult fieri. Tannerus d.2. q 8. dub.5. hanc difficultatem præſentiens advertit; *minimè controverſum eſſe, an DEVS futura conditionata infallibiliter cognoſcat ante omne decretum DEI conditionatum, ſed ſolum ante decretum prædefiniens ac prædeterminans, quod natura ac ratione præcedat omnem determinationem cauſſæ ſecundæ. Aliàs conſtat, cùm in ejuſmodi propoſitionibus conditionatis ſemper ſuppona-tur conditionis alicujus exiſtentia, quæ ſine DEI voluntate & decreto ſaltem conditionato eſſe non poteſt, neceſſarium utique eſſe, omnem notitiam earundem propoſitionum poſteriorem eſſe aliquo Dei decreto, nimirùm illo, quo ponitur, Deum hanc vel illam conditionem, aliquo tandem modo eſſe, aut permittere voluiſſe.* Sed non ſufficienter declinat difficultatem. Nam eſto Deus velit conditionem eſſe, quâ poſitâ videt futurum contingens, adhuc quæritur; unde videat ſub hac conditione rem futuram. Non videt futuram vi decreti, quo vult conditionem eſſe, nec vi conditionis; eſto enim conditio ſit; cùm tamen res ſub hac conditione, etiam à Deo poſitâ, contingenter fiat, ita ut poſſit non fieri, unde habet, quod potiùs ſit futura, quàm non futura? Profectò niſi Deus & hoc velit, ac prædefiniat, ut ſub hac conditione res contingens fiat, non erit certo futura, ſed adhuc erit indifferens ad futurum & non futurum; adeòque à Deo ante decretum prædefiniens non poteſt videri potius futura, quam non futura.

Non ignoramus, plerosque fugere ad infinitatem ſcientiæ Dei, quâ poſſit ſcire, quidquid eſt ſcibile, etiamſi ab omni decreto abſtrahatur. Sed iſti oſtendant, oportet, quòd ante omne Dei decretum ſcibile ſit, quid determinatè ſit futurum ex futuris contingentibus, quæ, quantum in ſe eſt, æquè

poſſunt non fieri, quàm fieri. Reſpondent aliqui, Deum inde ſcire, quia ex duabus propoſitionibus de futuro contingenti, una eſt in ſe determinatè vera, & altera determinatè falſa. Iterum inſurgitur contra antiquitatem & veritatem. Decantatum eſt apud Ariſtotelem & S. Thomam 1. Peri Hermen. 8. in contradictoriis de futuris contingentibus neutram in ſe eſſe determinatè veram vel falſam, ſed alteruttram indeterminatè. Unde quæſo ex ſe haberet una determinatam veritatem? Sicut nihil ex ſe habet futuritionem, ita nec determinatam veritatem futuritionis. Hæc ex cauſſa pendent. Si ſpectas ſecundam cauſſam, nihil determinationis invenies, cùm ſit ex ſe indifferens ad utrumlibet. Niſi ergò prima cauſſa, quæ eſt decretum divinæ voluntatis, ſtatuat, ut cauſſa ſecunda hoc potiùs agat, quàm alterum, non eſt via ulla cognoſcendi futura conditionata etiam conditione poſita. Vides ergò, impoſſibile eſſe, ut Deus cognoſcat futurorum contingentium unum potiùs quàm alterum futurum ante decretum, quo vult potiùs unum fieri quàm alterum, etiam poſita conditione?

Nihil timeas libertati ex hoc decreto; nam etſi eo ſtante, infallibiliter ſit futurum à cauſſa contingente, quod ita decretum eſt, tamen liberè futurum eſt, ſi à cauſſa libera eſt; quia hoc ipſum decrevit Deus, ut liberè fieret. Nam Deus ſuo decreto non facit, ut arbitrium non poſſit facere contrarium, ſed ſolum facit, ut cùm poſſet facere contrarium, reipſa non faciat, adeòque liberè unum potiùs quàm alterum faciat. Hinc facilè patet, fore ſatiùs, mediam Dei ſcientiam futurorum contingentium ante decretum Dei prædefiniens, omninò ablegare, quàm contra ſanctam antiquitatem ita pertinaciter pugnare, & in tantas difficultates ſe conjicere.

DEVS

DEVS OMNIA CONTINGENTIA abſolutè futura, etiam cognoſcit in rerum præſentialitate, quam habent in æternitate. § 41.

q.14.a.13.

EX hoc, quia DEus videt futura contingentia in ſuo decreto, videt etiam eadem in præſentia ſua, quam habent in æternitate, ſi tamen abſolutè ſint futura. *DEVS cognoſcit omnia contingentia,* inquit S. Doctor a. 3. *non ſolùm prout ſunt in ſuis cauſſis, ſed etiam prout unumquodque eorum eſt actu in ſeipſo. Et licet contingentia fiant in actu ſucceſſivè, non tamen DEVS ſucceſſivè cognoſcit contingentia, prout ſunt in ſuo eſſe, ſicut nos, ſed ſimul, quia ſua cognitio menſuratur æternitate, ſicut etiam ſuum eſſe. Æternitas autem tota ſimul exiſtens ambit totum tempus. Vnde omnia quæ ſunt in tempore, ſunt DEO ab æterno præſentia: non ſolùm ea ratione, quâ habet rationes rerum apud ſe præſentes, ut quidam dicunt, ſed quia ejus intuitus fertur ab æterno ſupra omnia, prout ſunt in ſua præſentialitate. Vnde manifeſtum eſt, quod contingentia & infallibiliter à Deo cognoſcuntur, in quantum ſubduntur divino conſpectui ſecundùm ſuam præſentialitatem, & tamen ſunt futura contingentia, ſuis cauſſis comparata.* Hæc doctrina, quamvis veriſſima, parum Recentioribus arridet. Mallent non eſſe S. Thomæ, ut liberius carpere poſſent. Hinc multi in alium ſenſum, invitum S. Thomam trahunt. Tannerus eum explicat de ſola præſentia rerum in æternitate non reali, ſed objectiva, quâ objiciuntur omnia intellectui divino ut præſentia. Sed non advertit, in hoc ipſo ſe contradicere S. Doctori; quia expreſsè dicit: *omnia quæ ſunt in tempore, ſunt DEO ab æterno præſentia, non ſolùm eâ ratione, quâ habet rationes rerum apud ſe præſentes* (quod eſt objective eſſe præſentes) *ſed quia ejus*

intuitus fertur ab æterno ſupra omnia, prout ſunt in ſua præſentialitate. Sed cur ita realem deteſtaris præſentiam rerum in æternitate DEI? An non hoc ipſum docet S. Auguſt. 5. Trinit. 16. inquiens *apud DEUM nec præterita tranſiêrunt; & futura jam facta ſunt?* Idem vult S. Gregorius, quando in illud Job. 18 *numerus menſium ejus apud te eſt*, ſic loquitur: *quoniam apud Omnipotentem DEUM etiam labentia ſtant, apud eum eſſe numerum noſtrorum menſium exhibet.*

Vel mihi, vel omnia aliquando exiſtentia ſunt realiter in NUNC. æternitatis præſentia. Cùm enim æternitas non habeat præteritum & futurum, omnia aliquando exiſtentia illi erunt præſentia. Idem nunc æternitatis ambit totum noſtrum præſens, præteritum, & futurum, ita ut quod nobis præterit, aut erit, comparetur ad nunc æternitatis ut præſens. Non refert, Deum non ab æterno, ſed in principio creaſſe cœlum & terram. Non ſtatim æternum eſt, quod in æternitate eſt, niſi illi commenſuretur. Æternitas cùm una & eadem complectatur, quæ ſunt in quovis noſtro tempore, etiam non æterna ut præſentia habet. Quæ in noſtro nunc temporis fuerunt, aut erunt, in nunc æternitatis adhuc ſunt. Non proptereà aliquid bis producitur, ut tibi imaginaris, ſi exiſtat in nunc æternitatis, & in noſtro nunc primùm incipiat eſſe. Eadem actione eſt in nunc æternitatis, & incipit eſſe in noſtro nunc: nam aliter non eſt in æternitate, niſi quia æternitas complectitur etiam illud nunc, in quo primum eſt res futura. Hinc de Antichriſto verè dixeris: eſt realiter in nunc æternitatis, & tamen nondum eſt in nunc noſtri temporis, ſed erit. Nulla eſt contradictio, aliquid eſſe in æternitate, & nondum eſſe in noſtro tempore præſenti.

DEUS

DEUS SUA VOLUNTATE PRÆDEFINIT omnia alia à ſe. q. 19. §. 46.

AD intellectum ſeu ſcientiam infinitam ſequitur voluntas infinita. Et ſicut DEUS eſt ſuum intelligere, ita & ſuum velle. Vult ſe volitione ſimpliciter neceſſaria, quia ſicut non poteſt non eſſe, ita non poteſt non velle eſſe. Vult alia à ſe volitione non ſimpliciter neceſſaria; nam ſicut omnia alia potuerunt non eſſe, ita DEUS potuit ea non velle. Poſito tamen, quòd ſemel voluerit rem eſſe, ex hypotheſi neceſſariò vult, quia voluntas ipſius eſt immutabilis. Dum audis, DEUM potuiſſe aliqua non velle, non ſic intelligas, quaſi DEUS potuerit carere aliquo actu voluntatis; non potuit, quia unico actu, qui eſt ipſa DEI ſubſtantia, vult omnia; ſed quòd idem actus potuerit ad aliqua non terminari.

Diſcrimen eſt inter ſcire & velle DEI: DEUS non poteſt plura ſimpliciter ſcire, quàm ſciat; at poteſt plura velle, quàm velit. Ratio diſcriminis eſt, *quia divinum ſcire*, ait S. Doct. q. 19. a. 3. ad 6. *habet neceſſariam habitudinem ad ſcita, non autem divinum velle ad volita. Quod ideo eſt, quia ſcientia habetur de rebus, ſecundùm quod ſunt in ſciente: voluntas autem comparatur ad res, ſecundùm quod ſunt in ſeipſis. Quia igitur omnia alia habent neceſſarium eſſe, ſecundùm quod ſunt in DEO, non autem ſecundùm quod ſunt in ſeipſis, habent neceſſitatem abſolutam ita, quod ſint per ſeipſa neceſſaria: propter hoc DEUS, quæcunque ſcit, ex neceſſitate* (ſcilicet abſoluta) *ſcit, non autem quæcunq; vult, ex neceſſitate vult.* Non objicias hic ſcientiam viſionis; quæ dicitur libera, eo quod verſetur circa exiſtentias rerum, quæ poſſunt non eſſe. Scientia ſimpliciter neceſſaria, eſt ſcientia DEI ſimplicis intelligentiæ;

quâ omnia cognoſcit neceſſariò, ſive exiſtentia, ſive merè poſſibilia, ſecundum ſuas naturas, & quæcunque illis accidere poſſunt; eſt ipſa ſcientia viſionis ſecundum rem, & modum cognoſcendi tantùm differt, quòd illa in ipſis rebus ut ſic non requirat exiſtentiam realem, ut requirit illa. Et propter hoc ſolùm hæc dicitur libera, alioquin in ſe ſimpliciter neceſſaria. Sed opponit Vaſquez d. 79. cap. 2. quòd DEUS non minus velit omnia poſſibilia, ſaltem voluntate prædicati, vel complacentiæ ſimplicis, quam ſciat. Verùm hoc ſufficienter non probat. Voluntas DEI, quæ fertur directè in aliquid extra ſe, eſt illius cauſſa: poſſibilium non eſt cauſſa, ſed tantùm exiſtentium. Quod DEUS directè vult, bonum ſit oportet; poſſibilia, eſto bona poſſint eſſe, tamen nondum ſunt, donec DEUS actu illis ſua voluntate bonitatem tribuat. DEUS non ſicut nos, vult aliquid ſupponendo bonitatem, ſed dando. Inefficax voluntas imperfectionem dicit, unde nullum in DEO formaliter locum habet.

Si omnis DEI voluntas circa creata eſt efficax, nunquam poterit fruſtrari ſuo effectu. *Nam DEI poſſumus reſiſtere voluntati?* Geneſ. 52. Advertimus, quòd libenter opponeres illud 1. ad Timot. 2. *DEUS vult omnes homines ſalvos fieri.* Et tamen non omnes ſalvantur. Sed prævenimus dicendo, voluntatem DEI circa omnium hominum ſalutem, tantùm eſſe voluntatem ſigni, quæ DEO actu non ineſt, & quam S. Thomas alibi vocat metaphoricè voluntatem. Voluntas ſigni dicitur ea voluntas, quam DEUS reipſa non habet, nos autem ex quibusdam ſignis colligimus, quaſi eam haberet, quia ſi nos ponimus talia ſigna, tales habemus voluntates. Unde S. Doctor a [illegible] ait: *Signa voluntatis, dicuntur voluntates divinæ, non quia ſunt ſigna, quod DEUS velit, ſed [illegible]*

que

quæ in nobis ſolent eſſe ſigna volendi, in DEO divinæ voluntates dicuntur; ſicut punitio non eſt ſignum, quòd in DEO ſit ira, ſed punitio ex eo ipſo, quòd eſt in nobis ſignum iræ, dicitur in DEO ira. Hujusmodi ſunt ſigna, quando aliquid DEUS præcipit, prohibet, conſulit &c. nam eò ipſo poſitivè velit præcipere, prohibere, &c. tamen non ſemper poſitivè vult, ut fiat, vel non fiat; alioquin infallibiliter ita contingeret. Voluntati ſigni opponitur voluntas beneplaciti, quæ ſemper impletur, & quæ ſecundum S. Thomam eſt voluntas conſequens, voluntas autem ſigni eſt antecedens, quæ non impletur niſi accepta. Hanc diſtinctionem voluntatis non ex parte DEI, ſed volitorum intellige, ut [illegible] tit S. D. a 6. ad 1. Antecedentem [illegible] quæ fertur in objectum ſecundum ſe, [illegible] conſideratum; conſequentem autem, [illegible] in objectum conſideratum in particulari [illegible] omnibus circumſtantiis. Ex mente [illegible] voluntate antecedenti vult DEUS omnes [illegible] ſalvos fieri, id eſt, ſecundum ſolam [illegible] derationem hominum, prout ſunt cr[illegible] tem; Sed ſi addatur, quòd cedat [illegible] gloriam DEI & Electorum, & [illegible] juſtitiæ DEI ſi mali puniantur, voluntate conſequenti, ſecundum conſiderationem particularium circumſtantiarum, non vult omnes ſalvos fieri, & ita contingit. Hinc dicit S. Doct. *quod antecedenter volumus, non ſimpliciter volumus, ſed ſecundùm quid.* Et tandem concludit, voluntatem antecedentem magis dici velleitatem. Implicat velleitatem in DEO eſſe formaliter, quia eſt actus imperfectus. Nulla ergò in DEO, quod tamen plerique Recentiores pro certo ſupponunt, eſt poſitiva voluntas, aut ſimplex complacentia de ſalute omnium hominum. Quæcunque eſt, efficax eſt, & impletur.

Quid ex iſtis aliud eſt conſequens, quàm Deum omnia alia à ſe prædefinire ſua voluntate? Si enim nihil poteſt eſſe, niſi Deus velit eſſe utique ab ipſo prædefiniri debet, quid & quomodo velit eſſe. *Omnia quæcunque voluit, fecit in cœlo & in terra.* Pſ. 134. Voluntas Dei eſt cauſſa prima omnium, ergo ex ipſius prævio decreto pendent omnia. *Fieri non poteſt*, inquit S. Thomas q. 25. *ut Deus aliqua faciat, quæ non præſciverit, & præordinaverit ſe facturum, quia ipſum facere, ſubjacet præſcientiæ, & præordinationi Dei. Nec aliter quidquam procedere poteſt*, inquit S. Proſp. l. 2. de vocat. Gent. 43. *quàm Omnipotentis Dei voluntate diſpoſitum eſt. Hoc eſt aliquid fieri*, inquit S. Auguſt. 83. qq. 3. *Deo agente, quod Deo volente.*

§. 47. DEVS PRÆDEFINIENDO NON *imponit neceſſitatem arbitrio.*

q. 19. a. 8.

SI Dei voluntati efficaci nemo reſiſtere poteſt, inquiunt nonnulli, quomodo non neceſſitatur arbitrium humanum ad illa agenda, quæ Deus prædefinivit? Aut quomodo Deus non eſt author mei peccati, quod ut facerem, ipſe priùs efficaciter voluit? Huic difficultati multi ſuccumbunt. Nonnulli cum Vaſquez apud Tannerum d. 2. q. 10. dub. 8. negant ullas actiones liberas, ita à Deo eſſe prædefinitas, ante prævisionem & futuritionem abſolutam determinationis noſtræ. Tannerus concedit quidem, Deum prædefinire actiones arbitrij noſtri ante prævisionem abſolutam futuritionis, non autem ante conditionatam prævisionem, quam habet Deus per ſcientiam mediam de noſtris liberis actibus, quod nimirum ſub hac vel illa conditione, ſi poneretur, arbitrium exiret in hos vel illos actus. Aſt hæc difficultatem non minuunt, ſed augent. Nihil poteſt Deus videre futurum, ut jam oſtendimus, niſi ipſe priùs efficaciter

velit

velit, ut ſit futurum. Media ſcientia non eſt firmum fundamentum, quia nimis arenoſa. Ipſum eſſe actionum noſtrarum, omni modo ſubſtat divinæ voluntati, tanquàm primæ cauſſæ, ut impoſſibile ſit, ut arbitrium ſeſe determinet ad aliquam actionem, niſi Deus priùs efficaciter voluerit hanc determinationem. Quomodo igitur cogitabile eſt, Deum videre illam determinationem antequàm velit efficaciter, ut ſit futura?

At de libertate propterea actum non eſt. Sine dubio liberè operaris, quoties ita operaris, ut poſſes non operari, vel operari contrarium. Deus ſua prædefinitione non auffert tibi hanc poteſtatem. Solùm facit, quod ſæpiùs dictum, ut facias potiùs hoc, cùm poſſes contrarium. Majorem non infert neceſſitatem, quàm tu tibi infers, dum te determinas ad unum, cum poſſes & alterum arripere: nam poſita tua determinatione ad unum, ſimul non ſtat, ut te determines ad alterum; manet tamen tibi potentia, & libertas, determinandi te ad alterum. Ita poſito Dei decreto, ut te determines potiùs ad unum, quàm ad alterum, fieri quidem non poteſt, ut ſimul te determines ad alterum, tamen manet libera potentia, quâ poſſes te ad alterum determinare. Hæc neceſſitas non eſt abſoluta, ſed tantum conditionata, quæ omnium judicio libertati non officit. Sed nemo, inquis, poteſt voluntati Dei efficaci reſiſtere? Dicimus omninò voluntati Dei neminem poſſe reſiſtere ſi per reſiſtere intelligas, ut intelligit S. Scriptura, niti in contrarium ejus, quod Deus efficaciter ſtatuit. At ſi reſiſtere ſumas pro eo, quod eſt poſſe facere contrarium ejus, quod Deus decrevit, ſed nunquam facturus es, ſemper, ſed impropriè, reſiſtis voluntati Dei quoties liberè operaris. Nihil ideo ſimpliciter eſt neceſſarium, quia Deus efficaciter vult id fieri; ſed quia vult ſimpliciter neceſſariò fieri.

Vult DEVS, inquit S. Thom. a. 8. *quædam fieri neceſſariò, quædam contingenter. Et ideò quibusdam effectibus aptavit cauſſas neceſſarias, quæ deficere non poſſunt, ex quibus effectus de neceſſitate proveniunt: quibusdam autem aptavit contingentes, defectibiles, ex quibus effectus contingentes eveniunt. Non igitur propterea effectus voliti à DEO eveniunt contingenter, quia cauſſæ proximæ ſunt contingentes, ſed propterea, quia DEVS voluit eos contingenter evenire, contingentes cauſſas ad eos præparavit.*

Ex hoc igitur, quòd DEUS prædefinivit, ut faceres hos potiùs actus, quàm alios, non ſequitur, quod non facias liberè, ſed potiùs ſequitur, quod facias liberè, quia & DEUS hoc ipſum prædefinivit, & propterea tibi dedit arbitrium. Sed opponis, ſi adhuc poſſum facere contrarium, non implicat contrarium me facere. Reſpondemus non implicare abſolutè, ſive in ſenſu diviſo; implicare tamen ſub conditione hac, ſi DEUS prædefinivit, ſive in ſenſu compoſito. An non, dum liberè ſedes, adhuc habes potentiam ad ſtandum? Et tamen implicat, te ſimul ſedere & ſtare. Verùm inſtas, quod ſedere ſit in tua poteſtatate, efficax autem DEI voluntas non. Dicimus parum referre, ſufficit ad libertatem, ſi omnia, quæ requiruntur, ſint in poteſtate authoris liberi arbitrij, qui non ſolùm te facit agere, ſed etiam liberè agere. Etiam in tua ſententia concurſus DEI cum arbitrio non eſt in tua poteſtate, & tamen non impedit, quin liberè agas cum illo. Sed times, ne DEUS hac ratione fiat author peccati? Vanus timor. DEUS ſua prædefinitione, cauſſat quidem actum tuum peccaminoſum, quoad entitatem actûs, non autem quoad malitiam. Actus tuus, prout eſt à DEO non poteſt eſſe malus; ſed prout eſt à tuo libero arbitrio, contra dictamen rectæ rationis. Sed poſito decreto, inquis, non poteſt non eſſe ab arbitrio.

Falſum

falſum eſt, abſolutè poſſet non eſſe, quamvis ex hac hypotheſi non poſſit non eſſe, quod malitiam non impedit. Sed inſtas, ſi Deus hunc actum non prædefiniviſſet, non feciſſem. Verum eſt. Sed ipſe ob majus bonum prædefinivit, & malitiam à tuo arbitrio liberè provenientem, permittere voluit, quam impedire non tenebatur.

At ſancti Patres nobis adverſantur? S. Damaſcenus ait 2. de fide orth. 30. *illud ſcire intereſt; DEUM omnia quidem præſcire, ſed non omnia prædefinire; præſcit enim ea etiam quæ in noſtra poteſtate & arbitrio ſita ſunt, at non item ea prædefinit.* Item alibi ait: *quæ in noſtra poteſtate ſita ſunt, non providentiæ divinæ, ſed libero arbitrio aſſignari debent.* Similiter S. Chryſoſt. Homil. 12. ſuper Epiſt. ad Heb. *non antecedit noſtras voluntates, ne noſtrum lædatur arbitrium.* Reſpondet S. Thomas infra q.23. a. 1. ad 1. & 3. ad ſimiles modos loquendi Patrum, eos eſſe intelligendos de prædefinitione cum impoſitione neceſſitatis, quam adſtruebant Manichæi. Dicere autem, quod Deus noſtrum arbitrium nullo modo præveniat, Patres non potuerunt, quia ſic negaſſent gratiam prævenientem, quod foret hæreticum. Similiter S. Damaſcenus negare non potuit, arbitrium noſtrum ſubdi providentiæ divinæ, ſed tantum voluit, quod ea quæ ſunt ab arbitrio in ratione bonitatis & malitiæ, potius ſint adſcribenda arbitrio tanquàm cauſſæ proximæ. Verùm S. Anſelmus nos evertit, qui dicit, neceſſitatem antecedentem evertere libertatem: atqui manifeſtum videtur, vi prædefinitionis neceſſitari antecedenter arbitrium noſtrum. At non evertit, teſte ipſo Tannero, quia iſte S. D. vocat neceſſitatem antecedentem, quæ oritur ex cauſſa ſecunda neceſſaria, *ut eſt cœlum volui*, inquit: eam autem, quæ oritur ex cauſſa libera, vocat conſequentem, quia major non eſt, quàm poſito, cauſſam

liberam

liberam agere hoc potiùs, tunc ex conſequenti neceſſariò hoc potiùs eſt, quàm alterum. Talis cauſa libera eſt arbitrium, & eſt ipſa Dei voluntas. Hinc ergò nulla neceſſitas antecedens.

§. 48. *HOMINES SVNT PRÆDESTINATI PER prævisa merita, & ſecundum majora vel minora ſervitia, etiam ex dato hauſtu aquæ frigidæ, quod uni huic feciſtis, recompenſantur.*

D. Th. q. 23. a. 4. & 5.

CLarum eſt, DEUM habere providentiam omnium, juxta illud ſap. 14. *tu gubernas omnia providentiâ*; maximè verò intellectualis creaturæ. Cum enim ſit cauſſa omnium per intellectum, & voluntatem, neceſsè eſt ut omnia dirigat in ſuum finem cum certo ordine. *Ratio autem ordinandorum in finem*, inquit S. Thom. q. 22. a. 1. *propriè providentia eſt*. Maximè autem ordinat creaturam intellectualem ad finem beatitudinis æternæ, qui vires naturæ tranſcendit. Et ratione hujus ſpeciatim dicitur DEus homines prædeſtinare. Prædeſtinatio enim nihil eſt aliud, teſte S. Tho. hic a. 1. quam *ratio tranſmiſſionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ*. Vel ut loquitur S. Auguſtinus, *præſcientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicunque liberantur*. Prædeſtinatio igitur eſt quædam pars providentiæ, & utraque actus rationis in DEO, qui ſit imperium eorum, quibus veniatur ad finem; præſuppoſita ex parte voluntatis humana intentione finis, & electione mediorum. Hunc enim ordinem rationis licet in DEO concipere. I. intendit finem, II. eligit media apta. III. per rationem conſtituit ordinem mediorum in executionem. In hac ordinatione dicimus cum S. Thoma conſiſtere actum utrumque; providentiam quidem, in quantum ordinat omnia in finem univerſi ...

præ-

prædeſtinationem autem, in quantum ordinat rationalem creaturam in vitam æternam infallibiliter conſequendam. Omnia ergò illa media quibus homo pertingit ad vitam æternam, vocantur effectus prædeſtinationis. Omnes autem reſpectu hominum adultorum continentur in his tribus; nempè in vocatione, juſtificatione, & glorificatione, ſumendo glorificationem pro ipſa datione gloriæ, juxta illud Apoſtoli Rom. 19. *quos prædeſtinavit, hos & vocavit; & quos vocavit, his & juſtificavit; quos autem juſtificavit, hos & glorificavit.*

Sed difficultas eſt graviſſima, utrùm DEUS eligat ſuos ad gloriam ante ipſorum præviſa merita? Videtur quod non, quia ſcriptura non promittit vitam æternam, niſi merentibus. *Venite Benedicti Patris, & poſſidete paratum vobis regnum; eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare.* Deinde, teſtè S. Auguſtino, & aliis Patribus, prædeſtinatio ſupponit præſcientiam aliquam: non aliam, quam meritorium. Denique nemo adultus ſalvatur, niſi habeat merita, ergò quomodo DEUS vellit alicui gloriam, niſi præviſis meritis aut ſervitute ac laboribus DEO per hominem debilis cùm alibi etiam ſæpiùs id manifeſtarit: ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata. Recipit unusquisque prout geſſit in corpore ſive bonum ſive malum: Si vis cum Chriſto conglorificari, debes & cum ipſo pati ſi habes aliquid contra fratrem tuum, dimitte, poſt ſacrifica. Convertere Convertere Jeruſalem ad Dominum DEUM Tuum, quæ & ſimilia clare inducunt, quod non nuda fides ſed eidem juncti in adultis adjectus, & ipſa ſancta Charitas ad vitam æternam nos perducere debent.

Quod adhuc clarius redditur, dum Chriſtus prædixit, quod omnis arbor quæ non facit fructum bonū excidetur & in ignem mittetur. & S. Paulus enumerat is peccatis addit, quoniam qui talia agunt, regnum DEI non conſequentur ac niſi pœnitentiam egeritis, omnes

omnes ſimul peribitis, ergo præter fidem, omnia requiruntur alia pia opera, nam contra impios, etiamſi credebant, diræ ex Juſtitiâ divinâ proceſſerunt præſæ, tanquam gladij ſeptem acuti ex ore DEI. 1. contra Luciferi ſuperbiam obſtinatam. 2. contra Adami inobedientiam ac gulam. 3. in diluvio ob peccata carnis, ſeu luxuriam. 4. civitatum Sodomæ, Gomorrhæ, &c. ob exceſſus nefandos. 5. contra Pharaonem ob perſecutiones obſtinatas. 6. contra Iſraelitas, quorum in deſerto ultra ſexcenta millia periere, ob murmurationes ſeu blaſphemias in DEUM, ac diabolicam adorationem Vituli. 7. contra adhuc modernos oppreſſores Juſtitiæ Viduarum ac pauperum in cœlum clamantium. In ſatisfactione autem per pœnitentiam requiritur. 1. Thus orationis. 2. myrrha jejunij, ut apud Moyſen, Eliam, Judith, Ninivitas, S. Joannem Baptiſtam & alios. 3. oleum ſeu opera miſericordiæ corporalia ac ſpiritualia. Porro quinque ſunt gradus ad orationem requiſiti. 1. calor amoris erga DEUM ex contritione ob peccata commiſſa, & incitamento ad virtutes, per quas ad Deum appropinquamus, à quo calorem recipis ut ſis fervens in operando benè. 2 humidum radicale ex lachrymis, & fulmina ex fervente calore ſpiritus, & virtutum agitatione intrinſeca atque extrinſecâ. 3. Lumen ut oculis mentis multa arcana cognoſcas, Fides enim illuminat, dummodo intellectum tuum non ut ſuperbum dominatorem ſed humilem divinæ voluntati ſervum ſubjicias; Spes vero recreat, charitas delectat, patientia tuetur, miſericordia dat benignitatem. Unde naſcitur. 4. fervor amoris erga proximum nulli injuſtum petendo optando ſed ſic excas cum gaudio ab occultis, & publica miſericordiæ ac juſtitiæ opera, quæ quasi ſola Deus ſe remuneraturum innuit. 5. abſtractio à rebus mundanis, utpote quæ omnia vana ſint etiamſi ſana integra, tamen ut ſtercora æſtimavit S. Paulus

& ſi-

& ſic in his gradibus, eodem Paulo docente, verè ac ſemper orare oportet ut probus ethycus ac æterna mercede dignus evadas. Eſtote Factores Verbi non auditores tantum, non omnis qui dicit Domine, ſed qui facit voluntatem Patris.

DE ÆTERNA GLORIA ANGELOLVM ac animæ beatæ. §. 49.

SEptem principaliores ſunt hæ gloriæ in facie DEI, velut in ſpeculo Angelis, animiſque beatis repræſentatæ, ac ex omnipotentiâ ſuâ divinâ ipſis liberaliter conceſſæ (1.) omniſcientia præteritorum præſentium ac futurorum perfecta, per quam etiam nomina omnium hominum in cœlo, terrâ, ac inferno, eorumque bona, & mala opera, in DEO veluti Sole Juſtitiæ, vident. (2) perfectus amor inter beatos omnes. (3.) Concordia, ſicut quo unus oculus, eò & alter proſpicit, quodque ſanctorum unus hoc & alij volunt ac ſciunt, nemoque plus mercedis, quàm meruerit, ſibi aut alteri mavult, ſicut in corpore humano pes non cupit eſſe oculus. (4) potentia, etiam creandi novum mundum, ſicut adoptatus filius DEI, dum hunc contempſerit mundum ac mundana, centuplum ibi accipiet, (5.) Honor ipſius DEI, etiam erga ſanctos uti adoptatos filios, promittente Chriſto, ſic honorificabit eum pater meus, & gaudium angelorum, erga homines, quod ſuppleant ipſorum loca, omniumque beatorum, quod recipiant ſecundum tolleratos labores ac perſecutiones. (6) ſecuritas contra mortem, diabolum, ac mundi adverſa, quæ etiamſi omnia uniuentur contra animam beatam, nihili eſſent, ac ſi tormentum bellicum contra ſolem exploderetur. (7.) fœlicitas æterna ex aſpectu Trinitatis, Angelorum Solis, Lunæ, corporiſque proprij glorificati, S. Bernardus in cantic. Elige nunc anima media

media congruentia, ut ad hanc beatitatem pervenias, niſi cum Tortoribus gehennæ totidem in corpore & animâ, contrarias pati malueris pœnas ob momentaneum hujus tranſeuntis mundi delectamentum, aut levis honorculi terræque poſſeſſiunculam Cur in his ac ſimilibus non credis æterno Dei Verbo, qui exiget ſtrictam Villicationis tuæ rationem, aſſeverans quod hic omnia ſint Vanitas Vanitatum: quomodo non obſtrepis, ſi minima tibi accidat injuria: Aſpice Dei exemplum, qui pro cunctis mundi peccatis non voluit aliter ſatisfieri, niſi

S. Chryſoſt. per injurias Filio illatas; Publicanus eo ipſo juſtificatus exiit è templo, quod patienter ferret convicia atque dicteria à Phariſæo inculpata: Si vero ob beneficia Tuis æqualibus vel Potentioribus præſtita, Tribulationes patiaris, conſoleris, nam gratiam auges apud Deum. 1. Pet. 2.

§. 50. *DE SIGNIS EXTREMI IVDICII AC conflagratione mundi.*

ANTE ſupremum Judicij diem in univerſo orbe Genti annunciabitur Evangelium, Romanumque Imperium, quod illius annunciationi Divinitus præparatum eſt, plane deſolabitur: utrumque certi inſtantis Judicij, & advenientis conſummationis ſæculi certum indicium. *Suarez 3 p tom. 2. diſp 56.*

Poſtmodum ſingularis quidam peccati homo, perditionis filius, malorum omniū caput, antonomaſticè Antichriſtus dictus, revelabitur; etiam futuri Judicij index ac ſignum: iſte partim falſis Dæmonum prodigiis, partim virium terrore, omnia religionis ſacra, ſimul & mundi regna penitus evertet ſeque etiam mendaciter Meſſiam jactitabit, atque mundi Monarcham ſemiquatuor annis & paucis diebus conſtituet, donec imperio ac nutu Chriſti Domini vivus mittatur in ſtagnum ignis ardentis ſulphure.

Sotus 4 diſt. 46. quaeſt.1. Suarez cit. loco diſput. 54. Valent. tom. 4. diſput. 11. quaeſt.2. Bellarm. tom.1.l.3. de Rom. Pont.

Redibunt inſuper ex Paradiſo, quo vivi rapti ſunt, Henoch & Helias, fidelium reliquias collecturi, firmaturi: qui ab Antichriſto interfecti, tres dies cum dimidio Hieroſolymis in plateis inſepulti jacebunt, donec ſpiritus vitæ à Deo intret in eos, & ipſi glorioſe inſpectantibus inimicis, in cœlum aſcendant. *Apoc. 11. Ribera, Cornelius, aliique interpretes ibidem & praefati D. D.*

Mox ſubſequentur Iſraelitarum ſeu Judæorum mira ad Chriſtum converſio; Solis, Lunæ, ac ſtellarum obſcuratio; Virtutum, orbiumque cœleſtium commotio; & inferioris hujus mundi per conflagrationis ejusdem cum noſtro elementari ſpeciei ignem reformatio: qui ignis in ſuperiores cœlos nihil aget, etiam ſubſtantias Elementorum non abſumet, neque qualitates eorum proprias tollet, ſed ea tantum à ſuis impuritatibus & contrariis diſpoſitionibus, quas ex permixtione contraxerunt, purgabit; vivos quidem omnes extinguet, inſuper malos æternum cruciabit, purgandos acriter pro temporis compendio purgabit, bonos vero nullo poſt mortem dolore afficiet: & licet quoad purgationem mundi judicium præcedat; id tamen quoad actum, quo males involuet, ſequetur. *S.Th. qq.73. & 74. Sylvius & Comm. ibidem.*

DEVS VNVS IN NATVRA, Trinus eſt in perſonis. §. 51

q. 21. & ſeqq.

CVm de Trinitate loquimur, inquit S.Th q.31. a.2. *cum cautela & modeſtia eſt agendum quia ut dicit Auguſtinus nec periculoſius alicubi erratur, nec laborioſius aliquid quaritur, nec fructuoſius aliquid invenitur.*

 Ille

Ille magnus DEUS, qui alterum DEUM non patitur ſocium, ineffabili tamen modo, in ſua Deitate unitate admittit tres perſonas. Quod non capis, quod non vides, animoſa firmat fides. *Fides Catholica hæc eſt ut unum DEUM in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur, neque confundentes perſonas, neque ſubſtantiam ſeparantes.* Ad unitatem DEI utcunque ratio noſtra aſſurgere potuit, Trinitas eam penitus excedit. Tamen à quodam ſimili remoto tam altum myſterium explicabimus. Noſter intellectus adeo fœcundus eſt, ut poſſit in ſe concipere verbum, in quo tanquàm in imagine cognoſcit objectum ſuum, & deinde voluntas mediante verbo prorumpit in amorem objecti, ſi bonum eſt. Non minùs intellectus & voluntas DEI fœcunda eſt, non minùs ex ſe progignit verbum, quod eſt perfecta imago ſui, & eo mediantè ſpirat amorem, qui eſt nexus utriusque. Hoc eſt diſcrimen: intellectus & voluntas noſtra, cùm ſint accidentia, non procedunt in verbum & amorem, qui ſint ſubſtantia. Intellectus & voluntas divina è contrà, cùm ſint ipſa DEI ſubſtantia, & intelligere ac velle DEI ſint ipſum eſſe divinum, procedunt in verbum & amorem, qui ſint ipſa DEI ſubſtantia, non diverſa in natura, ſed eadem penitus. Diverſitas tamen ſit in perſonis neceſſe eſt. Id enim quod procedit ab altero reipſa, alterum ſit oportet, alioquin reipſa non procederet. Proceſſio hæc debet eſſe duplex, una ex parte intellectûs, altera ex parte voluntatis; eſto enim divinus intellectûs & voluntas idem ſint, diverſum tamen ordinem habent emanationis verbi & amoris: *non enim eſt proceſſio amoris* inquit S. Th. q. 27. a. 3. ad 3. *niſi in ordine ad proceſſionem verbi; nihil enim poteſt voluntate amari niſi in intellectu conceptum.* Tertia proceſſio locum non habet in Deo. *Proceſſiones in divinis,* inquit S. Doct. a. 5. *accipi non poſſunt, niſi ſecundùm actiones, quæ in agente manent.*

Nuſſu-

Hujuſmodi autem actiones in natura intellectuali non ſunt niſi duæ, ſcilicet intelligere & velle. Relinquitur igitur, quòd nulla alia proceſſio poſſit eſſe in Deo, niſi Verbi & Amoris.

Proceſſio verbi in Deo eſt vera generatiò viventis, non autem proceſſio amoris, ut S. Fides docet. Definitur autem generatio, *origo ſeu proceſſio viventis à principio viventi conjuncto in ſimilitudinem naturæ.* Omnia in verbum divinum quadrant. Nam & ipſum eſt vivens, à principio vivente conjuncto, cum quo in natura idem eſt, procedens in ſimilitudinem naturæ vi ſuæ originis; omne enim verbum habet, ut ſit perfecta ſimilitudo ac imago ſui objecti. Hinc fides catholica verbum agnoſcit eſſe propriè dictum Filium, & eum à quo procedit, verum patrem. Sed cur Amor non etiam eſt filius, cùm etiam ſicut filius ſit Deus de Deo, & procedat in ſimilitudinem naturæ? Reſpondet S. Auguſtinus 3. contra Max. 14. *Non omne quod procedit, naſcitur, quamvis procedat omne, quod naſcitur; hæc ſcio, diſtinguere autem inter illam generationem, & hanc proceſſionem neſcio, per hoc quia & illa & iſta eſt ineffabilis.* Dic tamen cum S. Thoma, ideo Amorem non eſſe filium, quia eſto procedat in ſimilitudinem naturæ cum Patre & filio, tamen non ita procedit vi ſuæ originis. Verbum ex ſua natura debet eſſe ſimilitudo ſui objecti; non item Amor. Proinde Amor potiùs dicitur ſpirari, quàm generari, quia procedit ſecundùm rationem ſpirantis aut impellentis in aliquid. Et hac de cauſſa Amor in divinis dicitur ſpiritus Sanctus, qui eſt tertia perſona.

* * *

§. 52. IN DEO SVNT QVATVOR RELATIONES reales, ſed tantùm tres realiter diſtinctæ. q. 28.

NEceſſariò intervenit relatio inter procedentem, & eum à quo proceditur. Oportèt eſſe realem quoties proceſſio eſt realis. Dubium ergo non eſt, in Deo dari veras reales relationes paternitatis, filiationis & ſpirationis. Et licet cum eſſentia divina ſint penitus idem, inter ſe tamen, quæ oppoſitionem habent, realiter differunt. Hinc paternitas re diſtinguitur a filiatione, & ſpiratio paſſiva Spiritus Sancti ab utraque. Datur etiam quarta relatio realis, nempe ſpirationis activæ, quâ referuntur Pater & filius ſimul ut unum principium ſpirans, ad Spiritum Sanctum, ut ab utroque procedentem, tamen, quia non habet oppoſitionem cum paternitate & filiatione, re ab illis non differt: nam fundamentum diſtinctionis realis vel eſt rei limitatio, vel oppoſitio. In divinis nihil eſt limitatum, omnis igitur diſtinctio realis provenit ex oppoſitione. Unde perſonæ differunt realiter ſolum ratione oppoſitionis. Hic locum non habet: quæcunque ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe; ſed paternitas & filiatio ſunt eadem cum eſſentia divina, ergo ſunt eadem inter ſe. Oportet enim, ut illud tertium ſit incommunicabile. At divina eſſentia, quantumvis ſingularis, eſt communicabilis tribus perſonis. Ex his tamen, quia ſunt tres relationes realiter diverſæ, non inferas eſſe quoque tres relativas exiſtentias, ut putat Tannerus d. 4. q. 3. dub. 4. Quia exiſtentia in divinis dicitur abſolutè, adeoque unica eſt, & non relativè. Proinde dixit S. D. eſſentiam & relationem in divinis habere idem eſſe. Sed operoſius eſt dubium; an propterea in Deo ſint tres perfectiones relativæ? Dic breviter non eſſe. Si nomine perfectionis intelligitur id, quo aliquid eſt ſimpli-

ſimpliciter actu ; in tantum enim aliquid eſt perfectum, in quantum eſt actu. Sed per exiſtentiam aliquid eſt ſimpliciter actu, quæ in divinis eſt unica. Si intelligas nomine perfectionis actum proprium cujusque rei, non quo res ſimpliciter eſt, ſed quo talis eſt, utique ſunt tres perfectiones relativæ, quia Pater paternitate eſt perfectus pater, & filius filiatione perfectus filius, & Spiritus Sanctus ſpiratione perfectus Spiritus Sanctus: cui ſanctiſſimæ Triadi laus & gloria in omnia ſæcula. Amen.

DE MORTE HOMINIS JAM UT AD Materiam primam, à qua cœpimus redeundo mortem humanam, quæ omnium terribilium terribiliſſimum eſt, contemplemur. § 53.

INtuere ergo quemadmodum imminente terribili hora ſeparationis animæ à corpore (ad quod naturalē habet inclinationem & amorē) totus homo palleſcat, pedes refrigeſcant, infirmæ manus nigreſcant, vultus diſcoloretur, oculi tenebreſcant ac profundentur, & præ intollerabili pœnarum anguſtia evertantur; Vide quomodo pili labantur, frons obduretur, membra cuncta rigeſcant, mentum ruat, labia infrigidentur, os etiam contrahatur, pulſus caprizet, halitus quoque ex profundo ſe ipſum recolligens deficiat. Et ecce mox adſunt puncturæ mortis, & preſſuræ intollerabiles aculeum ſuum uſque ad cor imprimentes; Tum vertigo & cerebri cōmotio ſupervenit erumpitque ſudor mortis, naturam jam victam demonſtrans: ſicque prævalentibus pœnis, corrumpitur præ dolore, & anima de habitaculo ſuo ejecta, ad rigidiſſimum Tribunal Judicis æterni cogitur, ut recipiat prout geſſit in corpore, ſive bonum ſive malum.

§. 54. NONNULLA PRÆSAGIA FUTURORUM eventuum, ut quisque ſtudeat declinare malum & operari bonum.

SIgiſmundo Imperatori in Concilio Conſtan[illegible] ANNO 1414. quidam Arabs dedit qu[illegible] imagines, ſub quibus erant annotatæ [illegible] ænigmata pro qualibet imagine de futuris [illegible] cibus, quibus adimpletis, aſſeruit Imperator[illegible] aut Eccleſia deſtruetur, propter luxum & in[illegible] multorum Epiſcoporum ac Principum, aut [illegible] tetur in primævam paupertatem.

INTERPRETATIO. — *Prima Imago*

Joannes XXIII. Pontifex antea Balthaſar Coſcia de Nido, cujus inſignia, pes calceatus, captus ac depoſitus in Concilio Conſtantienſi, poſt Cardinalis obiit Florentiæ, Neapolitanus origine. 1416.

Exibit canis de he[illegible], [illegible] induet calceamentum fu[illegible], privabiturque proprio fr[illegible] ſudabit præ mœrore [illegible] miſcet infl[illegible]gitis, & [illegible] flores immundo[illegible] converti[illegible], Eccleſiam dilapidabit, & [illegible] eadem lilia languebit a[illegible] peribit.

Secunda.

Martinus V. ex Familiâ Columnæ Anno 1421. decimo Calendas Octobris ex Conſtantienſi Concilio, Romæ ſumma exceptus gloriâ, Ludovico Andegavenſi Regnum Neapolitanum feudi loco contulit. 1417.

In ſolida Columna fulgebit lumen obſcurum, & in illa requieſcent coronæ deflo[illegible]æ: Umbra ejus renovabit Urbem & Orbem. Temporum [illegible]rum Fœlicitas.

Tertia.

Eugenius IV. Venetus, ex [illegible] [illegible]vit Cardinalem

Ex paludibus mortu[illegible] Agnus percutiet fil[illegible] [illegible]bit

Colombam, renovavit concordiam inter græcos & latinos, coronavit Sigismundum Imperatorem Romæ, ante Epiſcopus Senenſis. 1431.

Nicolaus V. Thomas Lucanus, pacem inter Venetos, Sforz am, Florentinos, & Alfonſum Regem compoſuit, litteratorum Fautor, præ mœrore, quod Turcas non vinceret, obiit. 1447.

Calixtus III. Hiſpanus Bovem inſignibus ſuis geſtans, canonizavit B. Vincentium Hiſpanum ac Edmundum Regem Angliæ, Alfonſo mortuo, Neapolim Eccleſiæ addit.

Pius II. Piccolomineus ſeu Æneas Sylvius antea dictus, cujus inſignia erant 5. Lunæ & Crux nigra, bellum contra Turcas promovit, ſed re infecta obiit. 1458.

Paulus II. Venetus, cujus arma Leo, viſu pulcher, Fridericum III. Imperatorem Romæ blande excepit, purpuramque Cardinalibus primus aſſignavit, apoplexiâ interiit in ſuo palatio ad S. Marcum. 1471.

[illegible]abit virtutem ut Aquila, & cognoſcet Imperatoris magnanimitatem in genubus.

Quarta.

Accipiet claves obſcuras ſanguine, inter montes & mare, claves ad reſerandum bella & agitanda ſecundum voluntatem ejus excitabit turbas & gratus Regibus inter bella decipiet gloriam ſuam.

Quinta.

Bos dabit vocem ſuam, & ab iberiis plagis veniet mauſuetus, ſedebit & non mugiet coronabit coronatum, & in charitate jugum ſuum portabit.

Sexta.

Inter crucem fulgebunt quinque Lunæ, non implebuntur, multa ambient itinerando bellandoque mente & corpore, tandem ecclypſabuntur.

Septima.

De paludoſis Theatris exibit Leo opere, Agnus viſu, qui caput coronatum blande recipiet, pugnabit cum Aquilis, Lupis, & ſerpentibus, magna perficiet in bonum & malum ultimo inter proprias manſiones miſerè occumbet.

 Octava.

Sixtus IV. de Ruvere Franciſcanus Aſtrologus, cujus arma, Quercus, excelſi animi, Ferdinando Regi Hiſpano Catholici, hoc eſt univerſalis cognomen cum Inquiſitionis officio attribuit. Pontem Sixtinum, ac Hoſpitale S. Spiritus in Saxia juxtæ Tyberim Romæ extruxit: ſeptuagenarius podagræ ſuccubuit. 1471.

Innocentius VIII. cognomine cybus, cui à Turcarum Principe pars Lanceæ Sanctæ dono miſſa, antea Joannes Baptiſta vocatus vixit in aula Alfonſi Siculi. 1484.

Alexander VI. Borgias, cujus inſignia figura Bovis, Calixti III. pro Nepos antea Cardinalis Albanus & Portuenſis, poſt cujus mortem cum Pius III. piccolomineus in Papatu vix aliquot dies ſediſſet, ejus imago inter reliquas non fuit viſa.

Julius II. Ligur, & pacem doctus & arma Senex, aſſumptus 1503

Octava.

Arbor dura cineritia fructus aureos producet & non tam à ſuis, quàm à Principibus commendabitur, expoſitos & derelictos colliget, ædificabit ſuper & juxta aquas; in bellis amaritudinem demonſtrabit: rubigine commedetur.

Nona.

Cybus vere cibus ab infructuoſis montibus & mari veniens Urbem cibabit, & cum gloriâ evaneſcet concideas inter pacem ac bellum.

Decima.

Crateren veneno plenum & ſerpentem maximum neq; bovem neque vitulum, & Roma & Orbis cognoſcet, ab Heſperiis infamabitur, ac divino imperio inter cadavera & mala facinora occumbet epulando.

Vndecima.

Quercus annoſa à prima matre opaca florebit & fructibus plena concitabit ſues ad bellum, peſſimè guſtabit ſub umbra ejus menſam acerbam & Romandiola inter ſanguinem alieni generum deplorabit filios ſuos.

Leo X. *Duodeci-*

Leo X. filius Laurentij Medicæi, & celeberrimi Juriſconſulti Angeli Politiani diſcipulus, ſub quo Pontifice venit Lutherus.

Adrianus VI. Belga, Caroli V. olim preceptor, & ejus Vice Rex in Hiſpaniis tam probæ fuit cõſcientiæ, ut de bonis Eccleſiæ, ne quidem 50. aureos Nepoti de Enkenfort, attribuere ſit auſus. Romæ in Hoſpitali Germanorum ſepultus, cum hac Epigraphe. Prô dolor quantum refert in que Tempora optimi cujusq; Virtus incidat. 1522.

Clemens VII. ex Medicæis cum a Carolo V. confœderato deficeret, ingenti Roma inundatione periclitabatur, & tribus Cardinalibus ab exercitu Borbonij occiſis: Pontifex in mole Adrianâ obſeſſus, pacem à Cæſare obtinuit. 1533.

Paulus III. Farneſius, qui 7. lilia in ſymbolo habuit: Nepotibus Ducatum Parmenſem cum regione Placentina aſſignans, confirmavit regulam S. Ignatij, & Concilium Tridenti, optimus Aſtrologus in multos provexit ætatem annos, placide moriens 1550.

Duodecima.

De Lilio & flore veniet Leo catulus prudens ac manſuetus, ſub cujus ortu erit ætas aurea, & inter medium lętitiarum veniet fera peſſima, quæ devaſtabit vineam Domini.

Decima Tertia.

Ex Septentrione Leo Florentius, liber in dignitate, habebit regnum à diſcipulo: non cognoſcendo regnum & patriam ſuam, pœdagogus ſepelietur.

Decima Quarta.

Medi 'Clemens infirmabitur inter ægrotos, ab aquis perimeſcet, bellabit inclemens, & fugiet à facie exercituũ videbit Urbem devaſtatam ac debellatam à novis hoſtibus.

Decima Quinta.

Virebunt Lilia & in Urbe florentes convocabunt gentes ad Conciliũ, plus pro conſanguineis, quàm Petri ovibus acquiret, pugnabit contra Principes; ſub quo nonnulli mendos IX. luxuriabunt in nomen JEsu, & incipient cum illo Societatem divitib⁹, ac perſonatis ingenus. Væ Tibi Eccleſia, quia ex hinc Monarchia opprimentium circumdabit utes pampetes.

Julius

Decima

Decima Sexta

Julius III. Aretinus antea Joannes Maria de Monte, cujus inſignia Montes & Coronæ ex lauro quinquennio tantum rexit.

Binæ Coronæ flor[illegible] trinos montes florebunt [illegible] flore, & famem in pace ac bello [illegible] guſtabunt ſubditi, Timore [illegible] ingenio minas palliabunt, [illegible] mnia Tuta videbis.

Decima Septima.

Marcellus II. inſignia ejus [illegible]ulosus cervus, & frumentum floccidum, cui Papatus [illegible]omo Lauretana prædictus, [illegible]modici temporis, 22. dierũ, [illegible]s Bellarminus.

Meti[illegible]uloſus veni[illegible]t ad [illegible] Turbidas & requieſ[illegible] ſpicas deſideratus à fa[illegible]o.

Decima Octava.

Paulus IV. antea Joannes Petrus de Caraffa Neapolitanus, Epiſcopus Theati, inſtituit ordinem Theatinorum, contra Hiſpanos multa tentans: ſed Nepote ſuo Cardinale, in Mole Adriana ſtrangulato, inglorius per Urbem tractus 1560.

Producet ſanguis fere[illegible] hominem ſervum & [illegible] ſum in opinione, de ſe[illegible] pulchrum pomum, ſed magnum malum conducetur in Urbem aliud in Eccl[illegible]ia a[illegible]te & ingenio inſtitutum innova[illegible] gloriam ſuam in pulverem [illegible]vertet.

Decima Nona.

Pius IV. ex familiâ Medicæâ, S. Caroli Borromæi & Comitis de Altemps Sororius: nimium conceſſit politicis Regibus, ac Epiſcopis in Tridentino. 1566.

Succedent pilæ tremeb[illegible]æ. ſub hypocritâ iniquitates foventur, ex inſcitiâ & inju[illegible] impiè devaſtantur Popu[illegible] Principibus.

Vigeſima.

Pius V. Ghislerius, Michael ex Boſcho dictus, Alexandriaco Mediolanus, juncto fœdere cum Hiſpano, & Venetis Victor

Verè pius ex nemore opere, doctrinâque illuſtrabit Spo[illegible]ſam ſuam, in pace, pa[illegible] ac majeſtate debellab[illegible]

contra

Turcarum 1571. 7. Octobris clade, quam nemo alius Regum exhibuit, miraculis Romæ apud S. Mariam Majorem clarus.

Gregorius. XIII. Bononienſis, viginti tria fundavit pro exterarum nationum ſtudioſis collegia Romæ, nempe pro Germanis, Anglis, Scotis, Græcis, Illyricis, &c. Calendarium novum, ope prudentiorum mathematicorum inſtruxit: & olim condiſcipulo ſuo ruſtico ſe humilem omniū paſtorem aſſeverans, pie ad aſtra evolavit. 1585.

Sixtus V. de Montalto Picenus, inſignibus geſtans Leonem cum trabe tranverſo montibus, ſtella, & pyro. banditos latrones ſingulari eradicavit invento; plus quinquennio præfuit, quàm viginti ſucceſſores, Caſtaneis Sedem prædicens. 1590.

Gregorius. XIV. Sfondratus, Mediolanenſis vix decem menſibus, inſigni ſuo Caſtane[illegible]cio præfuit. ad S. Petrum ſepultus. 1591.

contra quos arma [illegible] filiorum. Exclamabunt Orphani & exaudientur, exaltabit Duces, augebit Reges; Tandem ſanctitate abundans ſpiritum reddet.

Vigeſima prima.

Dividetur Draco, & in bonis Eccleſiæ magnos Reges, ac longinquos honorabit, ſudabit in charitate & juſtitiâ, florebit virtute, ac requieſcet cum gloriâ.

Vigeſima ſecunda.

Conſurget Leo de montibus altis, cum fructibus dulcioribus, & ſtellâ duce, devorabit feras peſſimas, renovabit Urbem, & fugiet contra Leonem furentem, cumulabit divitias, & non guſtabit dulcedinem fructuum Viridari ſui.

Vigeſima tertia.

Arbor mollis & dulcis, in fructu non proſperabitur a fato, neque de fructibus ejus guſtabit Eccleſia.

Vigeſima

Innocentius IX. Fachinettus Bononien. cujus arma, arbor defloráta, pro Eccleſiæ bonis vigilavit bimeſtri.

Clemens VIII. Aldobrandinus de Florentiâ, cujus Urbis inſigne eſt lilium rubeum, Rudolfo II. tunc imperante, multa permiſſa acatholicis, nudis pedibus in proceſſione, Venerabile portans.

Leo XI. Medicæus à pilulis ſuorum inſignium. 27. diebus rexit, licet quartus ex eâ ſtirpe Florentinâ infra centum annos Pontifex. 1605.

Paulus V. Burgheſius Romanus, ſub quo novum Germaniæ increvuit bellum ex motibus Bohemicis: Romæ inter inuſitatas obiit nives, feſto S. Agnetis. 1621.

Gregorius XV. Ludoviſius Bononienſis, cujus arma Trabes, triennio præſidens 1623. deceſſit.

Urba-

Vigeſima Quarta.

Agitabunt fames & morbi Urbem ac Orbem, arbor eflora... peculium Leonis conſerval... & finem ſuum claudet cum ... ſtabilitate mundi.

XXV.

Stellæ fulgebunt à ... beo, & cum Clementi ... magnos, & Imperantes ... bunt lumine, ſed in Eccl... lumen magnum dereliquer... multaque, contra lumen p... prium producent in Senio.

XXVI.

Pilæ verè exaltatæ a T... uſque ad cœlum cum glori... vertentur: vix autem proſp... buntur in quarto numero.

XXVII.

Draco cum aquilâ capi... gnum, videbit quæſtiones ... ſimas, & ſub umbrâ ejus ... pient nova bella: deſtru... charitas, minuetur fides ... Magnatibus injuſtitia & T... nis ipſorum convaleſcet ac... ſus innocentes.

XXVIII.

Trabes ſylveſtres agit... belluas, & à multis Nepo... roſtrabitur Eccleſia.

Urbanus VIII. Barberinus de Florentiâ infra 23 regiminis ſui annos, plura partim concitavit contra Italicos Principes, partim auxit inter Reges bella: maximo tonitru in meridie æſtuante inter Draconem S. Marthæ & vincula Petri obiit. 1644.

Innocentius X. Pamphilius Romanus cujus arma, Colũba, Baſilicas S. Petri, & S Joannis Lateranenſis pretioſo reſtauravit lapide, pyramidibus, palatiis ac fontibus novis Romam exornans obiit 7. Januarij. 1655.

Alexander ſeptimus Chiſius Senenſis, cujus futura ſpectabuntur acta, dum juſtè, utiliter & bene pro Chriſtianis faciet, bene ſibi fiet, ex divina, quæ ludit rebus in humanis, providentiâ.

XXIX.

Convertentur Muſcæ in apes & non mellificabunt, niſi in cadavera Chriſtianorum, augebunt bella, & ſub ejus aculeo pugnabunt Reges fortes, ſonabunt arma, ſtrepitabunt coria aſinorum, in quibus peribunt.

Trigeſima.

Sub Columbâ langueſcet Eccleſia, immutabitur Roma, & dicent gentes ubi eſt Paſtor & Pater pacis, in interitu populorum dentibus ſrevet ac tabeſcet.

Trigeſima Prima.

Inter morticinia innocentium latrabit, & contriſtabitur, ſed non prævalebit ejus voluntas, ſtirpi ſuæ addicta, Italia, & Urbs Roma evacuabitur peſte, converſus reclamabit præ inopiâ ad Altiſſimum, & non exaudietur, coronabit Imperatorem ex metu, & reformabitur ab illo, in Concilio magno.

Trigeſima Secunda

Alteri Canes current ad lumen ſtellarum, augebunt bella, fovebunt apes, & muſcas & ſine latratu impudens, tanquam canis perimetur.

Trigeſima

Trigeſima Tertia.

Inter duas manus invenietur pax & fides [illegible] & fide, Væ Tibi Parthenope, præ timore conve[illegible] gloria ejus in cinerem: Væ Tibi Roma, Væ Tibi Tuſcia, ubi nunc erit Italia?

Trigeſima Quarta.

Turres erunt in propugnaculum abjectorum [illegible] evertentur & corruent miſerrimè ante faciem [illegible] mici ab inundatione exercitus qui aquam Tyberis convertet in ſanguinem.

Trigeſima Quinta.

Aquilæ capientur in laqueariis murium, & Eccleſia periclitabitur inter ſpinas ac Roſas deinde Pſeudo paſtores incitabunt gentes in gentem, & nomen JESU deſolabitur in Societate: Tyrannus peſſimus ſurget contra Sponſæ hæreditatem & perſequitur matrem lactantem.

Trigeſima Sexta.

Equus villatus & tinctus ſanguine, madefactus inter lachrymas ovium curret cum Leonibus ſuper cadavera, & erunt in Temporibus ſuis anguſtiæ non plus viſæ neque intellectæ præ multitudine [illegible] quæ luxuriabunt in bonis mortuorum ad Eccleſiam ſpectantibus: quæſita non invenietur pax, neq; fides, omniaque ibunt ſurſum ac deorſum.

Trigeſima Septima.

Præſidebit in Solio Petri [illegible] Pontifex, [illegible] tres coronas madefaciet in ſanguine & contra [illegible] irruent gentes & plagas Italiæ extinctis [illegible] nis convertet in ſanguinem, & in ejus tempore [illegible] veniet ab Imperatore Juſtitia armata pace, & [illegible] rato bello cum Rege fortiſſimo condet [illegible] ac normas.

Trigeſima Octava.

Extinguetur ignis antiquus, & in Urbe ac Orbe, ab agno inter duos Leones ſedente Dracones ac Aquilas percutiet. Furor orientis erit in pace ac requie ſuæ Sponſæ quæ rejectis adulteriis reconciliabitur cum primo viro; & renovabitur ut Aquila juventus ejus.

Trigeſima Nona.

Vir juſtus & fortis ſurget à falſis & mortuis undique tanquam Leo potens, ac ſerpens prudens, & Columba ſimplex recipiet in fine columbam nigrificatam ab impiis, & evolare faciet eam ſuper rotas, calcabit Reges fortes; ac reſtituetur innocentia columbæ, regnabit annos multos, & leges reducet in candore ſuo, eritque in ſublimitate cœlorum ac terrarum: Mors Urbem & Orbem renovabit, paucosque regnantes non lædet.

Quadrageſima Imago.

Reductus Petrus in Petrâ, non videbit dies iniquos, & retia ejus concludent piſces magnos; eritque novum ſolium in ſoliis Regum, & nova ætas in ætate, ac novus mundus in mundo, Tandem cognoſcent habitatores ejus quia Deus juſte puniet injuſtos, & ante finem mundi adhuc quatuor erunt bella horrenda, 1. Ruſticorum contra clericos, 2. Contra nobiles, qui ob ſuperbiam avaritiam & defraudationem proximi eradicabuntur; & omnes iterum erunt æquales, ſicut tempore Adami, ac in primitivâ Eccleſiâ. 3. Saracenorum ſeu Turcarum contra Chriſtianos, qui ſolvent Tributum Saracenis Victoribus; poſtea duo Reges Chriſtiani unus ex Græcia alter ex Auſtriâ in quarto bello profligabit

cunctos Saracenos, quo facto illi duo reges conſtituent octo Reges cum populo & erunt decem reges, & illi & omnes Chriſtiani conſtituent unum Imperatorem Romanum: Iſte autem Imperator fidelis faciet ſcutum in quo erunt picti duo viri, & ſuper illos ponet alium virum ad denotandum quod ipſe eſt ſupra illos Reges & ſupra omnes Chriſtianos Dominus, qui ſimul juncti accipient crucem Chriſti & ibunt in Jeruſalem, ibique Imperator faciet manſionem, & totus mundus erit in pace & omnes erunt unum id eſt una fides, unus Paſtor, & unum ovile. Poſtea naſcetur Antichriſtus ex quibus colligitur quod in qualibet lege nempe naturæ, moſaicâ, Gratiæ bis mille anni conſumentur, in ultimo autem propter electos tempus abbreviabitur.

DE DVRATIONE CVIVSLIBET §. 5[illegible]. *Monarchiæ diluvio, & ætate Patriarcharum Veteris Teſtamenti.*

Anno Mundi	*Patriarcha*	*Vixit annis*	*Genuit anno ætatis*	
1.	Adam	930	130	
130	Seth	912	105	
235	Enos.	905	90	Urbem pri-
355	Cainan. I.	910	70	mum con-
395	Malaleel	895	65	didit.
460	Jaret	960	162	Artes invẽ-
622	Enoch	365	65	nit.
687	Markuſala	969	187	
[illegible]78	Lamech	777	182	
[illegible]6	Noë	950	500.	

Anno 1656. Fuit Diluvium & Duravit uno anno

[illegible]657	*Sem filius Noë.*			
1658	Arpharad	338	35	Carnes ac
[illegible]693	Cain II.	568	30	vinum pro
[illegible]723	Sale	453	30	cibo ac potu
[illegible]53	Heber	464	34	permiſſæ.
[illegible]87	Phaleg	239.	30	

§. 56. **DE I. MONARCHIA** *Aſſyriorum.*

Anno Mundi	*Patriarch.*	*Vixit* *anno*	*Genuit.* *ætatis.*	*Monarch. Aſſyr.*	*Varia.*
1791	. : .	. .	. .	*a* Belus R. 65	*a Gen.* 10.
1817	Reu	239.	32		dicitur
1849	Saruhg	230.	30		Nembror.
1856	. . .	. .	.	*b* Ninus reg.	*b Genes.* 10.
1879	Nachor	148.	29	52.	dic. Aſſur.
1908	Thare	205.	70	Semiramis 42	Idololatriæ
1950	. . .	. .	.	Zameis 38	origo.
1978	Abraham	175.	100.		Zoraſter
1988	. . .	. .	.	Arius 30	Magiæ in-
2018	. . .	. .	.	Analius 40	ventor.
2058	. . .	. .	.	Xerxes Bala	5. Urbes
2078	Iſaac	180.	60	neus 30	incendio
2088	. . .	. .	.	Armamet. 38	pereunt.
2126	. . .	. .	.	Belochus 35	Juppiter
2138	Jacob	147.	91		R. Creten-
2161	. . .	. .	.	Baleus 52	ſium.
2213	. . .	. .	.	Altadas 32	12. Patri-
2229	Joſeph	110.			archæ
2245	. . .	. .	.	Mamitus 30	Diluvum
2275	. . .	. .	.	Mancaleus 30	Deucalio-
2305	. . .	. .	.	Iphareus 20	nis.
2325	. . .	. .	.	Mamylas 30	Commo-
2355	. . .	. .	.	Sparetus 40	rario Iſrae-
2395	. . .	. .	.	Aſcades 40	litarum
2403	Moyſes	120.			in Ægypto
2435	. . . .			Amyntas 45	Iſis venit
2480	. . . .			Belothus. 25	in Ægypt.
2483	Moſes dux pop. a. 40.				Prometh.
2505	. . . . . .			Bello pares	& Atlas.
2523	Joſue dux ann. 26.			30.	Cadmus,

2535

1535	. . . . . .	Lamprides.	lit. Græc.
1549	Inter. a 10.	32.	invenit.
	Iudic. Iſrael.		Nicepho-
1559	Othoniel. 40.		rus ab Aa-
2567	. . . .		rone uſque
2587	. . . .	Soſares 20	ad Macha.
2599	Aoth. ann. 80,	Lamparos 30	numerat
			Pōt. Jud. 31.
Anno Mundi	JUDICES *Iudæorum.*	*Monarch. Aſſyr.*	*Varia.*
2617	. . . .	Panias 45	Fabulæ po-
2662	. . . .	Soſarmus 19	ëtarum De
2679	Barach & Debbora 40.		Jano, Bac-
2681	. . . .	Mytreus 27	cho, Am-
2708	Gedeon. ann. 40.		phione, Li-
2740	. . . .	Tanteus 27	no, Perſeo,
2759	Abimelech. ann. 3		Pelope.
2762	Thola ann. 23		
2780	. . . .	Thineus 30	
2785	Jair ann. 22		
2807	Jephte 6		
2810	. . . .	Dercilus 40	
2813	Abeſan 7		
2820	Ajalon ann. 10		Sub Aialon,
2830	Abdon an. 8		anno mundi
2838	Sampſon	Eupales 38	2811. *Troja*
2850	. . . .		*everſa.*
2858	Heli an. 40		Æneas in
2878	Samuel 20		Latio re-
2888	. . . .	Laoſthenes	gnat.
		45. ann.	In annis
	REGES HEBRÆORUM.		Heli 40.
			includuntur
2898	Saul 20		anni Sam-
2910	David 40		pſonis.

2933	. . . .		Piriclades 3[illegible]	NB. Anni [illegible] muel[illegible]s, [illegible] Sa[illegible] dicun[illegible] [illegible] iſſe 40 [illegible] buen[illegible] 20 pro quolib[illegible]
2959	Salomon 40			
2963	. . . .		Orphateus 20	
2983	. . . .		Ophratanes 50	
	Divisio Regni Jud.			
	Reg. Iuda	*Reg. Iſrael.*		
2999	Robo. 17	Hierob.22		
3016	Abia 3			
3019	Aſa 41			
3021	. . .	Nadab. 2	an. mund.	Monarchia
3023	. . .	Baaſa 24	3033	Aſſyrior. ſte-
3047	. . .	Hela 2	Ocrazapes 41	tit ann. 1335.
3048	. . .	Zābri 7.d.		à Medis de-
3060	Joſaphat.	Amri a. 12	an. mund.	ſtructa eſt.
3082	25	Achab. 22	3074.	
3083	Joram 5	Ochozi. 2	Sardanapalus	
3085	Ochoz. 12	Joram 12	20.	
3090	Athalia. 7	Jehu 28		

§. 57. *DE MONARCHIA Medorum.*

Anno Mundi	*Iuda.*	*Iſrael.*	*Medorum.*	*Chaldaorũ.*	*Varia.*
3094	. . .	. .	Arbaces 28.		
3097	Joas. 40				
3118	. . .	Joa- chaz 17			
3122	. . .		Mandanes 50.		
3135	. . .	Joas 16			
3137	Amaſias 29	Hiero- boā. 41			4.[illegible]
3151					

3163	. . .		. . .	Phul. 48.	Chaldæi
3166	Azarias				regnabant
	52. cum				in Ninive
	patre 12				[illegible] Me-
3172	. .	. .	Sarſome-		dis regna-
3192	. .	Zach. 6.	nes. 30		tibus.
		men.			
		Sellum			Olympia-
		1. m.			des incipi-
		Manaē			unt an. 4.
		10. an.			Joathan.
3202	. .	Phace-	Artecar-		mund.
3204	. .	as 2. an.	mis 50		3209. vel
3206	Joathā	Phacee	. . .		ann. 10. A-
3211	an. 16	20	. . .	Teglath.	chaz, mū.
3222	Achaz.			phalasar	3232.
3224	16.	Oſee 9		25.	quod ori-
3236	. .	. .	. . .	Salmana-	tur ex ini-
3238	Ezechi-		. . .	ſar. an 9.	tio Cyri-
3245	as 29	. .	. . .	Sennache-	vario.
3252	. .	. .	Arbianus	rib. 7.	Anno 12.
3267	Manaſ-		ſeu Cardi-	Aſſar. 18	Achaz
	ſes 55	. .	ceas 22	*Reg. Bab.*	Roma cō-
3270	. .	. .	. . .	Mero-	dita.
3274	. .	. .	Arteus qui	dach. Ba-	Reges 7.
3310	. .		& Deroces	ladan. 40.	regnarunt
3322	Ammō		53	Ben. Me-	uſq; ad an.
	2		Artines	rodach.	Mundi
3324	Joſias		qui &	21.	3478.
3327	31		Phraor 22		

Anno Mūdi	*Iuda.*	*Medorum*	*Babylon.*	*Variæ.*
3331	. .	. .	Nabolaſ-	Bella ſub regibus Rom.
3394	. .	Arta-	ſar 29	geſta.
		banus		

3355	Joachaz 3. menſ.	qui & Cyaxa-res, 40		Draco leges Athenis tradit.
3360	Joacin. a. 11.		Nabucho-donoſor Magn. 43.	
3366	Joachim. 3. Sedech. a. 11.			
		Aſtyages 38.		
3377	Captivitas		Evilmero-	
3389	Jud. 70. a.	Cyrus	dac. an. 22.	
3403	. . .	Perſa 29.	Nirigliſ-	
3425			ſoor. an. 4.	
3429	. . .	. . .	Laboro Sordocus m. 9.	7. Sapientes Græciæ.
3430	. . .	. . .	Balthaſar qui & Nabonid⁹ 17.	

§. 58. *MONARCHIA PERSARVM.*

	Duces	*Iudaa.*	
			NB Cyrus regnavit aliquot annis
3447	Captivitas ſolvitur.	Cyrus cum Dario an. 1. ſolus ann. 7.	ante everſam Babylonem, ſed poſtea fit Monarcha.
3448	Zorobabel 32		
3455		Cambyſes an. 7. m. 6.	Darius Medus apud Danielem eſt
3462	. . .	Magus cum fratre m. 6.	pud Danielem eſt
3463	. . .	Darius Hiſtaſpis. 36 *	Cyaxares Aſtyagis filius, Cyri Avunculus,
3480	Reſa 46		
3499	. . .	Xerxes 21	
3520	. . .	Artabanus m. 7.	* Miltiades contra Darium,
3521	. . .	Artaxerxes Longimanus ann. 40	

3530	Joannes 40.		Themiſtocles
3561	. . .	Xerxes alius. men. 2.	contra Xerxem
3562	. . .	Sogdianus menſ. 7.	pugnant.
3570	Judas 14.	Darius Nothus 19.	
3581	. . .	Artaxerxes Mnemon. 43.	

Anno Mūdi	*Duc. Iud.*	*Monarch. Perſ.*	*Varia.*
			ann. mund. 3478. cœperunt Romæ eſſe Conſules.
3584	Joſeph 7.		
3591	Semei 11		
3602	Marathias 12.		
3614	Maat. 9		
3623	Nage 10		
3624	. . .	Artaxerxes	Plato, Ariſtoteles, Iſocrates,
3633	Heli 8	Ochus 23.	Demoſthenes.
3641	Nahum 7		
3647	. . .	Arſes 4	
3648	Amos 14		
3651	. . .	Darius ultim. Perſarum Rex. 6. *Monach. Græc.*	N B. Alexander regnavit annis 12. ſed 5. ann. Monarcha fuit.
3657		Alexand. M. 5.	

		Reg. Maced.	*Reg. Ægyp.*	*Reg. Syriæ.*	*Reg. Aſiæ.*
3662	Mathat.	Philippus	Ptol. Lagi		
3663					
3668	10.	Arridæus 7.	40.	. .	Antigonꝰ
3670	. .	Caſſander			18.
3672	Joſe-	19.		Seleu-	
3676	phus	. . .	. . .	cusNi-	Deme-
3686	60.	. . .	. . .	canor 32.	trius. 17.

 3689

3689	. .	Antigonus & Alex. 4			Demetri[illegible] capto manent 3. regna tantu, inter ſucceſſores Alexandri.
3693	. .	Demetriꝰ 6			
3699	. .	Pyrrhꝰ [illegible]			
3700	. .	Lyſimachus. 5			
3703	. .	Ptole. Cetaunus 1	Ptol Philadelphꝰ 38		
3705					
3706	. .	Meleager m.2. Antipater d 25 Soſtenes 2.			
37	. .	Antigonus 36.	. . .	Antioch Soter 19	

Anno Mundi	*Duces Iud.*	*Reg Macedon.*	*Reg Ægyp.*	*Reg. Syriæ.*	*Varia.*
[illegible]727	. .	. . .	. . .	Antiochus Theos 15	ann 3723 Rom primum Punicum bellum
[illegible]732	Joannes Hircanus 17	. . .			
[illegible]742		. . .	Ptolem. Evergetes 26	Seleucus Callinicus ann. 20	
[illegible]744		Demetrius 10.			
3754	Interregnũ apud Jud.	Antigonus 15			
3[illegible]62			. . .	Seleucus Ceraunꝰ 3	
3765					
3767		. . .	Ptol. Philopator 17	Antiochus Mag.an 36	an. 37[illegible] bellum ſecundum Punicum.
3769	. .	Philippus 42			
3783	. .		Ptol. Epiphanes 24		
38[illegible]	. .	. . .		Seleucus Philopater ann. 12	an. 378[illegible] bella Macedonica 382[illegible] finit.
3806			Prol. Philometor 35.		
3811	. .	Perſes			
[illegible]813				Antiochus Epiphan 11	

	Duces Iud	Reg. Egypt.	Reg. Syriæ.	Victo. Perſeo regnum Maced. deficit.
3822	Marathias			
3823	Judas Machabæus 6			
3824		. . .	Antiochus Eupator. 2.	ann. 3836. bellum tertium Punicū, contra novam Carthag. atq; Numantiam.
3826	. . .	. . .	Demetrius	
3829	Jonathas		Soter. 12.	
3838	19	. . .	Alexander	
3840	. . .	Ptolem.	10. ann.	
3848	Simon 8	Evergetes	Demetrius	
3851	. . .	29.	Antiochus	
3856	Joannes		Sedetes 9.	
3860	Hircanus	. . .	Demetr. 4.	
3864	26. . . .	. . .	Antiochus Griphus ſeu Triphon. 12.	
3868	. . .	Ptolemæus		
3876	. . .	Phyſcon. 17.	Antiochus Cizizenus 18	

Anno Mundi	Iudææ.	Ægypti.	Syriæ.	Variæ.
3882	*Ariſtobulus ann. 1			* Hic Ariſtobulus I. Poſt Sedeciā olim à Baby[illegible] captum, diadema ſibi impoſuit *Ioſeph. 15. antiq. c.1*[illegible]
3883	Jannæus Alexander			
3884	27. . . .	Ptol. Alexander 10		
3894	. . .	Ptol. Phyſcon iterum. 8	Philippus ann. 2	
3902	. . .	Ptol. Dionyſius. 30		

3910	Alexandra ann. 9		*Imperatores Romani.*	Regnum Syriæ deſinit Philippo per Gabiniū capto. anno 3919. Pompeius poſt mortem Alexandræ Judæos Tributarios facit, conſtituens Antipatrum procuratorē & Hyrcanum Pontificem.
3919	Hircanus a. 24			
3932	. . .	Cleopatra 22.		
3937	. . .	. . .	Julius Cæſar. 4. ann.	
3941	. . .	. . .	Inter regnum $1\frac{1}{2}$.	
3942	. . .	. . .	Octavian. Auguſtus. cum triũviris 12. Solus 44. *Suet.*	
3953	Herodes Aſcalonita an. 37	Regnum Ægypti deſinit.		
3984	. . .	. . .		Jesus Christus naſcitur.

Quartam Monarchiam Imperatorum Romanorum per Authorem late deductam in ſua Aquilâ Romana Francofurti 1657. impreſſa require.

DE MVNDI INNOVATIONE AC FVTVRO Beatorum ſtatu. §. 59.

REdeunte poſt peractum univerſale Judicium Chriſto cum Electis in cœlum, mundus ſecundũ accidentia quædam innovabitur; ex qua innovatione Cœli ſimul cum Elementis quieſcent, miraque claritate ad beatorum majorem gloriam ac lætitiam augebuntur; ſol, luna & reliqua aſtra in eis ſitu ac diſpoſitione manebunt, quæ ad majorem Univerſi pulcritudinem conferre videbuntur; metalla ac lapides, plantæ & animalia, quævis mixta, quæ ad incorruptionem non ordinantur, non conſervabuntur, nedum immutabuntur. *S. Tho. q. 91. Nazar. tom. 6. ſub finem in pecul. tract. qu. 6. Suarez 3. p. t. 2. diſp.* 58.

Ad innovati mundi pulcritudinem, parvuli cum ſolo originali peccato & ſine baptiſmo decedentes in reaſſumptis corporibus, felicitatem naturalem iſtic habituri, non revertentur; ſed peracto judicio in ſuum limbum iterum ablegabuntur, ubi in perpetuas æternitates manebunt in tenebris ſola damni, non ſenſus pœna plectendi. *Aluarez de auxiliis gratiæ, diſp.* 114.

Beati, in ſuo conſummato, tùm animæ, tùm corporis beatitudinis ſtatu de quo §. 54 majori gloriæ lumine illuſtrati oculis non corporis, ſed mentis, Deum per eſſentiam æternũ clarè viſuri, nullam à quidditate divina aut abſtrahent, aut impreſſam accipient, quam aut quâ cognoſcant, formã; ſed ipſamet Deitas eorum intellectui immediatè conjungetur ut forma, eritque quæ intelligetur, & quâ intelligetur: in cujusmodi viſione alij aliis, prout clarius illuſtrabuntur, ſic accidentaliter perfectiùs plura in Deo videbunt, nemo tamen à Chriſto videbit omnia, quæ Deus. *S. Th. q. 92. Comm. ibid.*

Aſſe-

Aſſequentur quidem Beatorum ſinguli ipſam eſſentialem beatitudinem, ſub ſuis tamen cœleſti patriæ diverſis manſionibus; quarum differentiæ ex diverſitate graduum charitatis non abſurde aſſignantur: in iis vitam omnis gaudij ac fœlicitatis cumulo auctam, abſque luctus & miſeriæ metu, ducent perennem: neque ex viſu damnatorum pœna mœrorem, quin potius, per accidens tamen, gaudium capient, ſibi de felicitate ſua congratulaturi, & Dei juſtitiam æternum collaudaturi. *S.Th.qq.93. & 94. Comment. ibid.*

§.60. *DE TRIGINTA TRIBVS MIRACVLIS, quæ Chriſtus pro evidentiſſimo Eccleſiæ ſuæ in hac vitâ patravit, ex ſacro Textu collectis.*

1. Converſio aquæ in vinum Joan. 2.
2. Inventio ſtateris in ore piſcis. Matth. 17.
3. Sanatio Leproſi Matth. 8.
4. Cura ſervi Centurionis. ibid. & Luc. 7.
5. Curatio Socrus Petri Matth. 8. Marci. 1. Luc. 4.
6. Reſuſcitatio filij Viduæ. Luc. 7.
7. Sedatio Tempeſtatis marinæ Matth. 8. Luc 8.
8. Curatio obſeſſi à Legione dæmonum. Matth. 8. Marci 5. Luc. 8.
9. Sanatio Paralytici Matth. 9. Marci 2. Luc. 5.
10. Curatio filij reguli Joan. 4.
11. Mulieris paſſæ fluxum ſanguinis Matth. 9. Marci 5. Lucæ 8.
12. Reſuſcitatio filiæ Archi Synagogi. eisd. locis.
13. Illuminatio binorum cæcorū Matt. 20. Luc. 18.
14. Dæmonij ejectio Luc 11. Mar. 9.
15. Sanatio manus aridæ Matth. 12. Marc. 3. Lucæ 6.
16. Paſtura maximæ multitudinis hominum. Matt. 14. Marc. 6. Luc. 9.

17. Ambu-

17. Ambulatio ſuper mare Matt. 14. Marc 6.
18. Curatio filiæ Chananeæ Matth. 15. Marci 7.
19. Sanatio Surdi & muti Matth. 9. Marc. 7.
20. Paralytici in piſcinâ. Joan. 5.
21. Paſtura quatuor millium hominum Matth. 15. Marci 8.
22. Illuminatio cœci Matth. 8. Luc. 18.
23. Lunatici dæmoniaci curatio.
24. Mulieris curvæ Spiritum infirmitatis habentis Luc. 13.
25. Illuminatio cœci à nativitate. Joan. 9.
26. Hydropici curatio. Luc. 14.
27. Reſuſcitatio Lazari. Joan. 11.
28. Curatio decem leproſorum. Luc. 17.
29. Ægroti fimbriam tangentis Matt. 14.
30. Infirmorum ante pedes poſitorum Matth. 15. Luc. 4.
31. Ejectio dæmonis Lucæ. 4.
32. Cæcorum illuminatio. Lucæ. 7.
33. Simultanea peccatorum remonſtratio phæriſæis facta. Joan. 8.

Scopus Vitæ ac libri noſtri Chriſtus; cujus omnis actio noſtra eſt inſtructio, ut beneficiamus proximo: Ipſi vero ſit perennis gloria.

FINIS.

A01 1475283

LEG